Q. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

NUDITATE HOMINIS IN TRIPLICI STATU,

QUAM

Summe Reverendæ Facultatis Theologicæ
conſenſu
Sub Moderamine
DOMINI

D. JOHANNIS SCHMIDII, P.P.

Alumnorum Electoralium Ephori, Collegii B. M. V. Senioris & Præpoſiti,

DOMINI PRÆCEPTORIS AC PATRONI
OMNI PIETATE VENERANDI

IN
AUDITORIO THEOLOGORUM PAULINO
publice propugnabit

AUTOR

M. JOH. CHRISTOPHORUS Schumann/
Cygnea Miſnicus.

D. XXX. MART. A. O. R. cIↄ Iↄccvi.

LIPSIÆ,
Literis BRANDENBURGERIANIS.

REVERENDISSIMI PROTO-SYNEDRII ELECTORALIS SAXONICI

Illuſtri Dno. Præſidi

cæterisque

Ejusdem

Aſſeſſoribus

immortaliter meritis,

nec non

INCLYTÆ URBIS CYGNENSIS

DOMINIS

Conſulibus, Syndico, Prætoribus atque Senatoribus Graviſſimis maximeque Spectatis,

VIRIS

Magnificis, ſumme Reverendis, Prænobiliſſimis, Conſultiſſimis, Ampliſſimis, Prudentiſſimis,

Mæcenatibus, Patronis atque Promotoribus ſubmiſſo animi cultu & debita obſervantia æternum devenerandis

Exercitationem hanc Theologicam ſacram eſſe cupit

Cliens devinctiſſimus

M. JOH. CHRISTOPH. Schumann

Cygn. Miſn.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58700(5)

B. C. D.

§. I.

DE nuditate hominis in triplici ſtatu acturus, nihil abs re alienum me facturum eſſe confido, ſi de vocabulo nuditatis primum quædam attigero. Quamvis autem illud in codice ſacro pariter ac profanis ſcriptis multifariam accipiatur, varios tamen ejusdem ſignificatus ad conceptum unum generalem commode reduci poſſe, ac nuditatem quamlibet rei alicujus abſentiam connotare, judico.

§. II.

Ita animadverto vocem nuditatis notare abſentiam (α) *veſtimentorum*, eorumque vel *omnium*, quo ſenſu uſurpatur *Gen. II, 25. III, 10. 11.* in quibus locis, ut mox videbimus, de Adami atque Evæ nuditate fit mentio, *Job. I, 21.* ubi vir ille ſingularis patientiæ inquit: *Nudus egreſſus ſum ex utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Et *Marc. XIV, 51. ſq.* de adoleſcente, qui Chriſtum captivum ſequebatur, dicitur, quod amictus ſindone ſuper nudo (ſcilicet corpore) fuerit, atque rejecta ſindone nudus aufugerit. Unde etiam γύμνωσις quaſi γύων μόνωσις & γυμνότης quaſi γύων μονότης, ſeu membrorum ſolitudo, juxta quorundam obſervationem dicitur: Quam membrorum ſolitudinem ac veſtimentorum abſentiam infert etiam vox עֶרְוָה, ſeu nuditas, quoties pudenda denotat, Levit. XIIX, 6.--19. Illa enim juxta quosdam hoc nomine veniunt, quia in συνȣσίᾳ, vel congreſſu, denudantur, ſeu veſte, qua alias tegi ſo-

ſolent, privantur, *vid. Martin. in Lexic. Philol. voce nudus:* juxta alios autem per Antiphraſin ita appellantur, quod denudari, ſeu veſtis tegumento carere, minime debeant, vid. *Fagium, Vatabl. Grotium* in *Levit. XVIII,* 6. *Bibl. Critic. Tom. I. p.* 821. 823. 827. *B. Glaſſium in Rhet. Sacr. Tr. l. c.* 5. p.m. 79. vel *ſufficientium & ad corpus ſatis tegendum neceſſariorum*; v. g. *Matth. XXV, 36.* ubi Chriſtus ait: *Nudus fui* (id eſt, non ita bene, ſeu ſufficienter veſtitus, ut optime exponit *B. Gerhardus in Harm. Evangeliſt. cap. 165. p 901.*) *& veſtiviſtis me*, ſcilicet in membris meis, ut ex *verſic. 40.* patet. Cum quo loco confer *Job. XXII, 6. Jeſ. LVIII, 7. Ezech. XVIII, 7. Jacob. II, 15.* (β) *Velaminis cujuscunque* tam phyſici, quam moralis, quo quis impeditur, ne in rei alicujus notitiam pervenire queat. Quo ſenſu vocem eam Paulus uſurpat, *Ebr. IV, 13.* aſſerens, omnia nuda & retecta eſſe coram oculis DEI. (γ) *Fidei in Chriſti meritum*: Ita Paulus oſtenſurus fide vera Auditores ſuos non debere deſtitutos eſſe, ſiquidem cœleſtis domicilii participes ſecum fieri velint, *2. Cor. V, 3.* inquit: *Siquidem induti, non nudi reperiemur.* Sic *Apoc. III, 17.* Epiſcopus eccleſiæ Laodicenſium nudus, ſeu fide deſtitutus, eſſe perhibetur. *Apoc. XVI, 15.* beatus prædicatur, qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videantur verenda ejus. (δ) *Præſidii*, quo urbes contra inſultus hoſtiles muniuntur. In quo ſignificatu occurrit *Gen. XLII, 9.* ubi Joſeph ad fratres ſuos dicit: Exploratores eſtis, ut videatis אֶת־עֶרְוַת הָאָרֶץ nuditatem terræ, hoc eſt, qua parte præſidiis careat, & facile occupari poſſit. (ε) *Obſcuritatis*, quemadmodum apud *Ciceronem* atque *Plinium* verba nuda pro verbis obſcuritate carentibus ſeu claris & apertis accipiuntur. (ζ) *Armorum, ſepulturæ, opum*, quando nudus inermem, inſepultum, inopem ſignificat, vide *Martinium l. c. voce nudus.* Ex his aliisque, quæ adhuc afferri poſſent, ſignificationibus prima, eaque maxime famoſa, ad inſtitutum noſtrum pertinet. De ea enim nuditate, quæ importat abſentiam veſtium, quibus membra ad laſciviam irritantia tegi debent, nobis in præſenti ſermo erit.

§. III

§. III.

De qua nuditate ut ordine juſto agam, placet eandem juxta diverſum hominis ſtatum paulo penitius conſiderare. Solent autem Theologi in deſignando hominis ſtatu diverſas partes ſequi. Quidam enim in quadruplici; nonnulli in quintuplici ſtatu hominem perpendi poſſe autumant. Qui ad priorem claſſem accedunt, eos diverſa via in diſpeſcendo illo ſtatu progredi animadvertimus. Alii namque bimembri, alii trimembri, alii quadrimembri diviſione uti ſolent. Apud *illos* hominis ſtatus eſt vel naturæ, vel gratiæ: Naturæ vel integræ vel corruptæ: Gratiæ vel inchoatæ vel conſumatæ. Apud *iſtos* homo ſpectatur vel in ſtatu naturæ inſtitutæ, ſeu integritatis: vel in ſtatu naturæ deſtitutæ ſeu peccati; vel in ſtatu naturæ reſtitutæ, & quidem aut quoad initia (ſeu ex parte) in hac vita, aut quoad conſummationem (ſeu ex toto) in vita futura. Apud *hos* autem dividitur in ſtatum integritatis, transgreſſionis, reparationis & æternæ glorificationis. Vel ut alii exprimunt: in ſtatum confectionis, defectionis, refectionis & perfectionis, conf. *B. Kramayerum in Theol. poſit. Art. VII. p. m. 323.* Qui ad *poſteriorem* claſſem pertinent, hominem in ſtatu integritatis ſeu innocentiæ; peccati ſeu prævaricationis; inſtaurationis; gloriæ; & tandem ignominiæ ſeu damnationis conſiderant. Mihi inpræſentiarum nuditatem hominis in triplici tantum ſtatu, ſcilicet integritatis, transgreſſionis & glorificationis, perpendiſſe ſufficiet. DEus autem, cui omnia nuda ſunt atque retecta, aſſiſtat conatibus meis, atque faciat, ut materiam hancce tractatione non indignam digne etiam pertractem per JEſum CHriſtum, qui acerbam crucis mortem nudus pro nobis ſuſtinuit! Amen.

SECTIO I.

DE

NUDITATE HOMINIS

IN

STATU INTEGRITATIS.

§. I.

CUm Theologorum noſtratium Principi, *B. Luthero*, in aureo ſuo Commentario *verſ. 25. Cap. I. Geneſ.* exponendus eſſet, in hæc verba erumpit: *Videtur, quod hæc clauſula potuerit omitti, quæ admonet de re non admodum neceſſaria. Quid enim refert, ſive in paradiſo nudi, ſive induti veſtibus ambulaverint. Sed profecto inſignis & neceſſaria clauſula eſt, quæ oſtendit in re, ut nobis videtur, leviuſcula, quantum mali per peccatum originale hæc naturæ acceperit.* Quod ſi alicui videatur, primam hanc ſectionem de nuditate hominis in ſtatu integritatis a me quoque ſilentio prætermitti potuiſſe, tum B. Lutherum imitatus reſponderem, tractationem hanc inſignem eſſe atque neceſſariam, ut eo melius conſtet, quæ bona primi parentes ab optimo Creatore acceperint, ac prævaricatione ſua ſibi totique humano generi perdiderint.

§. II.

Quamvis autem Scriptura S. ſatis claris atque apertis verbis doceat, humani generis primos parentes a DEO nudos conditos & ad lapſum usque nullo veſtitu amictos fuiſſe, non defuere tamen inter Judæos, qui protoplaſtis noſtris ante lapſum veſtem tribuere non dubitarunt. Ita enim nos docet *B. Schickardus de Jure Regio cap. 5. theor. 17. p. m. 358. edit. Lipſ.* referens, quod R. Bachai legis divinæ *Deut. XXI, 12.* rationem daturus ſcribat: שיחשוב במעלתו של אדם הראשון קודם שחטא שהיה מלבושו צפורן: *ut cogitet* (ſcil. captiva) *de præſtantia primi hominis Adami, cujus veſtis, antequam peccaſſet, erat inſtar unguis,* qui, teſtante eodem *Schickardo l. c. p. 359.* colore corneolum retulerit: Unde adhuc dum ineunte Sabbatho Judæi ungues ad candelam contemplari ſoleant, admurmurata precula, quam *B. Carpzovius* ex *Minhagim fol. 3.* in notis longe accuratiſſimis *ad l. c. Schickardi lit. X. p. 350. ſq.* affert, cum in antecedentibus obſervaſſet, quæ R. Bachai de primi hominis ante lapſum veſte attulit, ex *Pirkê R. Elieſer cap. XIV. fol. 9. col. 4.* eſſe deſumta. In quo loco iſta, magno Carpzovio referente ac interpretante, leguntur:

Qua-

Qualis erat veſtis Adami hominis primi? Erat pellis onychina (& inſtar unguis pellucida, nam τὸ צפרן utrumque, & *onycha* & *unguem* notat,)*quam nubes gloriæ circumdabat. Cum vero comediſſet de fructibus arboris vetitæ, exuebatur ei pellis illa unguem referens, videbatque ſe eſſe nudum, atque recedebat ab eo nubes gloriæ.*

§. III.

Sed quantum iſtud nugamentum a veritatis tramite recedat, Moſes nos docere poteſt, qui expreſſe aſſerit *Gen. II, 25. Et erant ambo nudi, Adam & uxor ejus, & non erubeſcebant.* Idemque ex *cap. III.* luculenter patet, ubi idem Moſes refert *v. 7.* quod primi parentes cum *cognoviſſent, ſe eſſe nudos, conſuerint folia ficus, & fecerint ſibi perizomata: v. 10.* quod Adam interrogatus a Deo, ubi eſſet, reſponderit: *Vocem tuam* Domine *audivi in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me: v. 11.* quod DEus Adamo nuditatis, qua probroſæ, quam ex fructus vetiti comeſtione ſibi contraxerat, notitiam ſequentibus verbis exprobrarit: *Quis indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* Tandem *v. 21.* quod ipſe DEus Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas fecerit, atque eosdem illis amiciverit.

§. IV.

Iſthæc vero primorum parentum ante lapſum nuditas non in ſola veſtium abſentia conſiſtebat, ſed cum plurimis animi pariter atque corporis bonis conjungebatur, illorumque eximium ſymbolum erat atque teſtimonium. Unde non incommode *Fr. Junius Prælect. in Gen. III, 25. opp. Tom. I. p. 61. Eam* (ſcilicet primam parentum noſtrorum conſtitutionem) *ſic expresſit Moſes verſu ultimo, ut ſynecdochice tota illorum conſtitutio ex una ſpecie intelligenda ſit. Nam corporalem ſolum modum attingit Moſes, & ex eo, quaſi ſymbolo, ſpectandam præbet animorum conſtitutionem.*

§. V.

Ac *primo* nuditas illa Protoplaſtorum luculentum ſymbolum ſanctitatis, innocentiæ ac puritatis in affectibus exiſtit. Nulla enim in iis fuit cupiditatum & affectuum ἀταξία, nulla rationis

onis & appetitus lucta, ſed ſumma virium omnium συμμετρία & amica conſpiratio. Pontificii equidem primam hominis naturam cum rebellione quadam virium conjunctam eſſe contendunt, ſed quam injurioſa in DEum, quam impia, quam abſurda ſit hæc ſententia, quis non diſpicit? Ex ea enim fluit (1) ſupremum Numen pravæ concupiſcentiæ & rebellionis autorem eſſe, quod Scripturæ S. diſerte contradicit, cum juxta eandem omnia valde bona produxerit, *Gen. I. verſ. ult.* & non velit iniquitatem, *Pſalm. V*, 5. (2) vitioſos motus in ſtatu integritatis fuiſſe, quia concupiſcentia prava peccatum eſt, *Roman. VII*, 7. (3) naturam primi hominis extitiſſe deteriorem conditione brutorum, quia in illis non reperitur ejusmodi rebellio. (4) Chriſtum ipſum omni labe haud caruiſſe, quia veram & integram humanam naturam cum omnibus conſequentibus & affectionibus aſſumſit. (5) in glorificationis ſtatu futuram eſſe rebellionem virium, quia in eadem materia ratione eſſentiæ & natura integra cum omnibus ſuis facultatibus manebit, Conf. *B. Meiſn. §. 42. diſp. de imagine DEI in homine ante lapſum hab. 1676. & recuſ. 1703. B. Calov. Syſt. Tom. IV. art. 2. cap. 1. q. 3. p. 570. ſqq. B. Schertz. in Syſtem. Loc. V. §. 2. p. m. 110.*

§. VI.

Sicuti nuditas ſignum erat ſanctitatis, innocentiæ atque puritatis in affectibus: ita *ſecundo* denotabat impaſſibilitatem ac immortalitatem in corpore. Qua impaſſibilitate omnino corpora primorum parentum ac poſterorum ab iis progenerandorum, ſi in ſtatu integritatis perſtitiſſent, prædita eſſe oportebat, ne pluviæ, æſtus, frigoris aliisque aëris incommodis ac moleſtiis afficerentur, cum extra dubium eſſe videatur, durante illo ſtatu perfectionis pluviam, æſtum, frigus atque intemperiem æque ac in præſenti defectionis ſta u locum habitura, & ſtationes cœleſtium ſyderum nullam mutationem ſubitura fuiſſe. Quod ipſum aſſerere, quam cum iis facere malumus, qui nobis perſvaſum cupiunt, poſteros protoplaſtarum, qui in Zonas frigidas, aut temperatarum remotiores partes habitatum iviſſent, veſti-

bus

bus uſuros fuiſſe. Quamvis etiam negare nolimus, â multis creaturis, quæ hodie hominum corporibus noxam inferre ſolent, divino nutu ita moderante nulla damna metuenda fuiſſe. Omnes enim creaturæ homini faviſſent, ſi in favore DEI permanſiſſet. *O quam felices igitur erant primi parentes! nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis*, cum *Auguſtino de Civ. DEI L. XIV. c. 10.* mihi exclamare licebit. Impasſibilitati autem non immerito junximus immortalitatem. Nam ſi corpora protoplaſtarum nullis incommodis ac pasſionibus nocivis expoſita fuiſſent, nec ullam corruptionem ac mortalitatem experiri potuiſſent.

§. VII.

Præterea nuditas fuit ſingulare corporis ornamentum. Quid enim pulchrius corpore primi hominis nudo inveniri poterat? quæ partium concinnitas major? quæ forma nuditate hac elegantior? Quod de nuditate fœminarum in ſtatu corruptionis *Plautus*: *Pulchra fæmina nuda eſt purpurata pulchrior*; Quod de illa perhibet *Apulejus Metamorph. l. 2. p. 118. Pleræque mulieres indolem gratiasque ſuas probaturæ lacinias omnes exſuunt, amicula dimovent, nudam pulchritudinem ſuam præbere geſtiunt, magis de cutis roſeo rubore, quam de veſtis aureo colore placituræ:* id rectius & longe majori jure ad nuditatem hominum in ſtatu ſummæ perfectionis viventium accomodare licebit. Nullus enim ſerici ſplendor, nulla lini atque xylini ſubtilitas atque candor, nulla lanæ mollities, nullus auri atque argenti gemmarumque fulgor, nulla tandem purpura ſive arte ſive natura pretioſa corpus hominis nudum vel tantillum ornatius reddere potuiſſet, ſiquidem ſuum ſibi innatum habebat decus & ornamentum, quod erat pulchra atque carens omni macula nuditas. Imo non dubitat ex noſtratibus Theologis *B. Lyſerus* & *B. Nicolai* apud *B. Calov. Com. in Gen. III, p. 335.* ſingularem ſplendorem primorum parentum corporibus nudis inſuper tribuere. Juxta *illum* enim tum temporis imago Dei ita luxit in corpore & per corpus, ſicut in transfiguratione gloria Chriſti

ſplenduit in veſtimentis, *Matth. XVII, 2.* Nunc per peccatum idem corpus ita eſt dehoneſtatum, ut ne imaginari quidem posſimus, quid illud fuerit. Juxta *hunc* autem *de vita æterna L. I c. 7.* fulſurus fuiſſet orbis, quaſi plenus eſſet cœleſtibus ſtellulis, & viderentur ubique faculæ ſplendidiſſimæ: ſiquidem omnes loco veſtium ex inhabitatione SS. Trinitatis fulſiſſent, diverſis tamen charitatis & gloriæ gradibus pro diverſis Sanctorum donis: Et uti pictores Prophetas & Apoſtolos cum fulgore caput circumdante depingunt, uti Moſes radiante facie viſus eſt, cum locutus eſſet cum DEO, *Exod. XXXIV.* ita circumdati fuiſſent, ipſius ſententia, innocentes homines pulchro ſplendore, ac rutilaſſent radiis fulgentibus. Quam pientiſſimorum Theologorum ſententiam, cum analogiæ fidei non adverſetur, ac probabilitate inſuper quadam nitatur, non plane rejiciendam eſſe cenſemus. Ad illorum placitum quodammodo accedere videtur opinio *Iſidori Clarii*, qui exiſtimavit Adamo & Evæ pro veſte fuiſſe divinum quendam ſplendorem & gloriam, quali S. Agnetem aliasque virgines ad lupanar ductas & denudatas ſæpe obtexit DEus, & quali obteget corpora ſanctorum in reſurrectione. Sed in iſtam ſententiam invehitur *Cornel. a Lap. Comm. in Gen. III, 25. p.* 77. aſſerens, hoc gratis fingi & fruſtra: Ubi enim nullus ſit pudor, nulla concupiſcentia, nullum frigus, ibi nulla opus ſit veſte aut luce. Sed qui patrocinium ipſius Iſidori Clarii ſuſcipere vellet, is facile reperiret, quod contra Cornel. a Lapide regerere poſſet, nempe illum divinum ſplendorem non pudoris aut frigoris, ſed ornamenti ſingularis cauſa primis parentibus conceſſum fuiſſe. Quod ſi etiam R. Bachai atque R. Elieſer ſupra citati §. 2. per pellem illam onychinam & inſtar ungvis pellucidam, quæ primis parentibus ante lapſum ab iis tribuitur, in ſenſu allegorico ſplendorem aliquem cuti illorum adhærentem intelligunt, tunc eorundem opinio, utpote quæ cum modo citatorum Theologorum ſententia convenit, non adeo improbanda erit. Facile autem quis in eam ſententiam adduci poſſet, ut Judæos

lau-

laudatos non in ſenſu proprio, ſed allegorico locutos fuiſſe ſtatuat, quem non latet, quæ de R. Elieſer *G. H. Vorſtius præfat. in Pircke Elieſer* tradit: *ſæpius*, inquiens, *ſub paradoxis & lepidis narrationibus abſtruſiorem recondit ſenſum. Sic Convivio ex Leviathane & Schor abbar futuro delicias æternæ felicitatis adumbrari vult. &c. Multa quoque* על דרך גוזמא per modum hyperboles *profert: Veluti de ſtatura Adami ab uno extremo mundi ad aliud, de Monarchia Salomonis, Achabi, Joſephi &c.* Quam Vorſtii obſervationem maxime dignam judicavit *B. Scherz.* ut illam in *ſpecim. Theol. Mythicæ Ebræorum §. 3.* exhiberet.

§. VIII.

Cum igitur nihil plane ad mentis & corporis ornamentum atque felicitatem in primis parentibus deſideraretur, uti jam declaratum fuit, hinc profecto non debemus mirari, quare iidem ob nuditatem pudore non fuerint ſuffuſi. Nuda adducta eſt Eva marito a DEO, nuda cum marito vixit in Paradiſo, nuda cum ipſo DEum coluit, nuda cum illo a Deo legem accepit ſine ullo pudore: Ita enim *Gen. II, 25.* Erant ambo nudi Adam & uxor ejus, & non erubeſcebant. In Ebr. וְלֹא יִתְבֹּשָׁשׁוּ h. e. *juxta Targum:* non afficiebantur ignominia. Vel, non ducebant ſe confuſibiles, juxta *B. Glasſium l. c. Tr. 3. can. 29. p. 326.* Et, quæſo, unde exorta eſſet confuſio? unde ignominia? unde pudor? Potiſſima pudoris cauſa ex mente Philoſophorum eſt turpitudo. Conſule *Ariſtotelem L. IV. Eth. c. 15.* qui definit pudorem per τὸν φόβον τῆς ἀδοξίας, h. e. metum quendam infamiæ, talis videlicet, quæ ex admiſſis peccatis oritur; Uti Philoſophus ipſe in mox ſubſequentibus verbis mentem ſuam ſatis clare expreſſit ſcribens: *Nihil eum* (ſeniorem) *quicquam agere debere cenſemus, in quo pudor conſiſtit: Nam pudor probi viri eſſe nullo pacto poteſt, cum ob malas res oriatur: Neque enim agendæ res ejusmodi ſunt. Quod ſi alia ſint revera turpia, alia opinione, nihil refert: neutra enim agi debent. Quare minime eſt erubeſcendum: pravi namque hominis eſt, eſſe ejusmodi, ut turpe aliquid agat &c.* Pariter *lib. 2. Rhetor. 6.* definit pu-

dorem, quod ſit *dolor quidam & perturbatio ex malis aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferunt.* Præterea notum eſt quosdam ob ignorantiam, qua laborant, pudore ſuffundi, eademque ne aliis innoteſcat, omni ſtudio cavere. Conſtat quoque multos ob unum alterumque nævum, quem in corpore ſuo deprehendunt, pudore aliquo affici, eundemque omnibus modis occulere. In propatulo itidem eſt, non paucos ob inopiam, qua premuntur, erubeſcere, eandemque, ut occultent, omni ratione allaborare. Quæ omnia cum a primis parentibus maxime fuerint aliena, alienam quoque ab illis omnem erubeſcentiam eſſe oportuit.

§. IX.

Quæ cum ita ſe habeant, grandem certe errorem committunt illi, qui hanc pudoris abſentiam ad alias cauſas referunt.

§. X.

Quidam Hebræorum, Adamum & Evam cæcos fuiſſe, arborem autem ſcientiæ boni & mali vim medendi oculis & auferendi cæcitatem habuiſſe nugantur, idemque probare ſatagunt partim *ex Gen. III, 5.* ubi Satanas ait: *Quocunque die comederitis ex ea, aperientur oculi veſtri:* & *v. 7.* ubi narratur, quod poſt comeſtionem de arbore vetita *oculi illorum aperti fuerint, & cognoverint, quod nudi eſſent:* partim ex *verſ. 6.* ubi verba illa Hebræa ſacri textus כִּי תַאֲוָה הוּא לָעֵינַיִם Onkeloſus reddidit, *quod ſanitas eſſet oculis.* Confer *Fagium ad Gen. III, 6. & 7. in Bibl. Critic, Tom. I. p. 69. 73. ſq.* Ipſe *B. Auguſtinus Lib. XI. de Gen. ad Litter. cap 31. Tom. III. opp. p. m. 671.* ut probet primos parentes non clauſis oculis factos fuiſſe, & in paradiſo deliciarum cœcos palpantesque oberraſſe, ut vetitum lignum etiam neſcientes attingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent, reſpondet: *Quomodo animalia & volatilia adducta ſunt ad Adam, ut videret, quid ea vocaret, ſi non videbat. Quomodo ipſa mulier ad virum adducta eſt, quando facta eſt, ut de illa, quam non videbat, diceret; Hoc nunc os*

de

de oſſibus meis, & caro de carne mea, & cætera. Poſtremo, quomodo vidit mulier, quia bonum eſt lignum in eſcam, & quia placet oculis ad videndum, & decorum eſt cognoſcere, ſi eorum clauſi erant oculi? Breviter reſpondeo, divinum ſcriptorem non de oculis corporis, ſed de oculis mentis loqui, nec ullam cœcitatem primis parentibus tribuere. Alias enim ſequeretur (α) homines in ſtatu perfectiſſimo, ſeu ante lapſum, infelices admodum fuiſſe. Quanta enim calamitas oculorum uſu privatum eſſe! Tob. V, 13. (β) hominem in ſtatu poſt lapſum majorem perfectionem obtinuiſſe, quam habuerit in ſtatu ante lapſum. Quantum enim bonum eſt obvia quævis oculis ſuis perluſtrare poſſe! (γ) homines nobiliſſimam videndi facultatem non optimo creatori, ſed peſſimo delicto debere. Rectius itaque hic illis ſuæ fidei ſociennis ſapit *R. Salòmo* apud *Fagium in Gen. III, 7.* quod verbum תפקחנה aperti ſunt, ad animum & mentem potius, quam ad corporalem oculorum aciem referendum eſſe cenſeat. Unde & פקחים in ſcripturis vocantur, qui in judicio cauſas diſcernunt, quid verum, æquum, juſtum aut ſecus ſit, cernentes, *Exod. XXIII, 18.* In eo autem conſiſtit iſta oculorum mentis apertio, quod primi parentes poſt eſum ex arbore prohibita adverterint nuditatem, in quam prolapſi ſint, turpem, motus concupiſcentiæ rebelles rationi experti fuerint, intellexerint ſe bonum juſtitiæ originalis amiſiſſe per peccatum, cognoverintque Dei ſententiam eſſe veram, dæmonem autem mendacem; uti bene exprimit *Steph. Menochius in Explicat. Gen. III, 7. p. 6.* Tantum ergo abeſt, ut hæc oculorum animi apertura in primis parentibus commendari, ut potius acerbiſſimis lacrymis nunquam ſatis deplorari queat. Dignus eſt, qui hic audiatur *Auguſtinus de C. D. lib. 14 c. 17. Aperti ſunt oculi amborum non ad videndum: nam & antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum, in quod ceciderant. Unde & ipſum lignum eo quod iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum ſcientiæ boni & mali. Ex-*

perta enim morbi moleſtia, evidentior ſit etiam jucunditas ſanitatis. Cognoverunt ergo, quia nudi erant: nudati ſcilicet ea gratia: qua fiebat, ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, ſi DEO credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent. Ad illud autem, quod arbor ſcientiæ vim medendi habuerit ad cœcitatem oculorum tollendam, noto vocem תַּאֲוָה, quæ in textu originali *loc. cit.* legitur, ſignificare deſiderium ac concupiſcentiam, adeoque quando Moſes de arbore ſcientiæ boni & mali memorat, quod fuerit תַאֲוָה הוּא לָעֵינַיִם nihil aliud indicare vult, quam quod oculis fuerit concupiſcibilis ſeu delectabilis. Atque id ipſum etiam intendit Onkelos, quia ſanare oculos, obſervante laudato *Fagio in Bibl. Critic. p. 73.* vicem proverbii obtinet, & idem ac paſcere oculos denotat.

§. XI.

Alii Ebræorum ex *Gen. II, 23.* ubi Adam de uxore ſua dicit, quod ſit os ex oſſibus ſuis, & caro de carne ſua, cauſam abſentis pudoris derivare ſtudent, aſſeruntque primos parentes ideo eodem haud eſſe affectos, quia alter alterius caro fuerit, vide *Rivetum in cap. II. Geneſ. Exercit. 27. opp. Tom. I. p. 110* & *Mercerum in Geneſ. II, 25. p. 71.* Sed reſpondeo, ſi hæc cauſa foret, quod non erubuerit Adamus, cum Eva eum nudum conſpiceret, nec pudore correpta fuerit Eva, cum Adamus illam nudam videret, ſequitur etiam Protoplaſtas poſt lapſum cum ſe mutuo adſpicerent, nullo pudore ſuffundi potuiſſe, cum poſt lapſum alter alterius caro eſſe minime deſierit. Nam poſita eadem cauſa effectum eundem poni neceſſe eſt. Contrarium vero nos docet Scriptura S. *Gen. III, 7.* Quibus ipſe *Rivetus l. c.* addit, nunc eos, qui recte ſunt compoſiti, propriæ carnis pudere, nec libenter ſe nudos ſpectare: neque virum ad uxorem ſine aliqua verecundia accedere.

§. XII.

Nonnulli confugiunt ad conſvetudinem, qualis obtinet inter populos illos barbaros, apud quos nudi incedunt viri æque ac fœminæ, nec tamen ullo pudore ſuffunduntur. Sed reſp. (1) ex *Gen. III, 6. & 7.* conſtare, quod protoplaſtæ poſt fructum ex arbore vetita decerptum pudore correpti fuerint, ac nuditatem ſuam foliis ex ficu conſutis tegere cœperint, quo certe tempore, cum adhuc inter protoplaſtas conſvetudo fuerit, nec erubeſcere potuiſſent, ſi illa quidem effeciſſet, cur prius illos nuditatis non puduerit. (2) Ex illa ſententia ſequi protoplaſtas, antequam conſvetudinis uſus inter illos obtineret, ad minimum eo tempore, quo Eva a Numine ſupremo ad Adamum adduceretur, nuditatis ſuæ puduiſſe, cujus rei tamen nec vola nec veſtigium ullum in ſcriptura ſacra deprehenditur. (3) Conſvetudinem barbarorum, qui prorſus nudi ac omni veſtitu deſtituti incedunt, ex quadam mentis ſtupiditate ortum trahere, quæ certe hominibus imagine DEI præditis ac in perfecto ſtatu degentibus nulla ratione tribui poteſt, confer *Rivetum l. c. p. 107.*

§. XIII.

Sociniani ex defectu judicii accidiſſe autumant, quod primos parentes, licet nudi fuerint, nullus pudor occuparit, quemadmodum infantes, quando omnibus veſtimentis carent, nullo pudore ex membrorum nuditate duci videmus. Quid quód ipſe *Smalzius de Ver. DEI Fil. c. 7. fol. 6.* contendat, Adamum inſtar infantis vel pueri nudum ſe eſſe ignoraſſe. Ad Socinianorum caſtra tranſit *Grotius de Jure Belli & Pacis Lib. 2. cap. 2. §. 2. num. 1.* dum ipſe quoque primis parentibus in ſtatu integritatis viventibus magnam ſimplicitatem tribuit, ac eandem in ignoratione magis vitiorum, quam cognitione virtutis conſtitiſſe, illiusque argumentum præbuiſſe nuditatem, contendit. *Petrus Picherellus* etiam *in cap. III. Geneſeos* perinde ut Gro-

Grotius ex nuditate protoplaſtarum colligit, eos tam ſimplices, incautos & idiotas, id eſt, ut explicat ipſe, non ingenioſos & non intelligentes fuiſſe, ut nuditatis ſuæ non puderet: fuiſſe ut infantes & pueros, qui inter bonum & malum non diſcernerent, nec diſcernere appeterent, *vid, Ziglerum in Grot. l. c. p. 221. ſq.* Ad horum claſſem ex mente *Alphonſi Toſtati in Gen. II, 25. opp. Tom. I. p. 92.* referendus quoque ipſe *Joſephus.* Ita enim de illo: *Dicit Joſephus, quod primi parentes erant adhuc ut parvuli, carentes uſu rationis, & ideo non erubeſcebant de ſua nuditate. Sic enim pueri faciunt; & quod arbor ſcientiæ boni & mali accelerabat & acuebat uſum rationis. & quod guſtantes de fructu illius ligni, inceperunt habere uſum rectæ rationis, erubeſcentes de ſua nuditate.* Sed cum *Joſephus Antiquitatum Judaic. lib. I. cap. 2. p. 5.* ubi de primis parentibus ex inſtituto egit, non dicat, *primos parentes fuiſſe adhuc ut parvulos uſu rationis carentes & ideo non erubuiſſe de ſua nuditate*, uti quidem *Toſtatus l. c.* expreſſe aſſerit, nec alia, quæ Joſepho in verbis paulo ante citatis adſcribit, apud eundem legantur, placet græca Joſephi verba, quæ huc faciunt, ut de illius mente benevolus lector eo rectius judicare queat, in medium afferre. Sic autem ille: Γευσαμένη δὲ τȣ̃ φυτȣ̃, καὶ ἡσθεῖσα τῷ ἐδέσματι, καὶ τὸν ἄδαμον ἀνέπεισεν αὐτῷ χρήσασθαι. Καὶ συνίεσαν ἑαυτῶν ἤδη γεγυμνωμένων, καὶ σκέπην ἑαυτοῖς ἐπενόȣν. Τὸ γὰρ φυτὸν ὀξύτητος καὶ διανοίας ὑπῆρχεν. Φύλλοις ȣ̃ν αὐτȣ̀ς συκῆς ἐσκέπασαν. Καὶ ταῦτα τῆς αἰδȣ̃ς προβαλλόμενοι, μᾶλλον ἐδόκȣν εὐδαιμονεῖν, ὡς ὧν πρότερον ἐσπάνιζον εὑρόντες, quæ verba ex verſione Sigismundi Gelenii ita fluunt: *Quæ,* (mulier) *guſtato arboris fructu, ciboq; hoc delectata, etiam Adamo uſum ejus perſvaſit. Jamq; ſe nudos eſſe ſentiebant, & de tegmento ſibi diſpiciebant. Arbori enim acuminis & cogitandi vis inerat. Foliis igitur ficulneis ſeſe texerunt, atq; ita convelatis pudendis, videbantur ſibi feliciores, qui inveniſſent, quo prius carebant.* Reſp. (1) primis parentibus judicii defectum tribuere, atque ex illo pudoris in illis abſentiam derivare, non admittit (α) ſumma atque excellentiſſima divinorum myſteriorum ſcientia, de

qua

qua Paulus loquitur: *Col. III, 9. 10. Induentes novum hominem, qui renovatur εἰς ἐπίγνωσιν, in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit eum.* (β) Dominium creaturarum, *Gen. I, 26.* quod Adamum notitiam brutorum habuiſſe, quibus prudenter imperare debebat, ſatis arguere videtur. (γ) ὀνοματοθεσία, ſive nominum conveniens impoſitio, *Gen. II, 19.* (δ) agnitio Evæ, v. 23. *Et dixit Adam; Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea: Hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt.* (ε) *prophetia ſive prædictio firmitatis copulæ conjugalis.* 24. (ζ) ab ignorantia nuditatis, quæ eſt miſeriæ & turpitudinis, ad ignorantiam ſanctitatis & innocentiæ N. V. C. Facile concedo Adamum & Evam nuditatem priorem, ſive miſeram, ignominioſam atque turpem, quæ in ſtatu integritatis non adfuit, ſed poſt peccatum admiſſum denique acceſſit, omnino ignoraſſe; Sed nuditatem cum ſanctitate atque innocentia conjunctam ipſos neſciviſſe, nego. Hinc optime *Auguſtinus de Civit. DEI Lib. XIV. c. 17.* ad verba illa *Gen. II, 25.* commentatur: *Nudi erant, & non confundebantur, non quod eis ſua nuditas eſſet incognita, ſed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat. Nondum ad hominis inobedientiam redarguendam ſua inobedientia caro quodammodo teſtimonium perhibebat.* (ȝ) Cum infantes trimuli in ſtatu peccati viventes ſe nudos eſſe ſciant, quomodo vir in integritatis ſtatu conſtitutus nuditatem ipſam ignorare potuit? Conf. *B. Scherzerus in Colleg. Anti-Socin. Diſp. 29. p. 248. Calov. in Bibl. illuſtr. ad Gen. II, 9. p. 235. ſq.*

§ XIV.

Nec eſt, ut ſibi quis forſan perſvadeat, ob conſternationem quandam protoplaſtas nuditatem ſuam non animadvertiſſe; quemadmodum hodie non raro homines, exorto quodam incendio aut alio caſu ſubitaneo, nudi absque ullo pudoris ſenſu in publicum prodire ſolent. Cum enim omnis infortunii caſus a feliciſſimo illo ſtatu maxime alienus fuerit, nec idem pudoris cauſa eſſe potuit.

§ XV.

§. XV.

Multo minus quis in eam abſurdam prolabetur ſententiam, primos parentes impudicitia quadam laboraſſe, ideoque nuditatem nullum illis ruborem incuſſiſſe. Impudentia ſiquidem cum imagine DEI concreata, quæ in rectitudine quadam & perfectione omnium potentiarum; tam ſuperiorum ac inferiorum, ac eximia ſanctitate & juſtitia conſiſtebat, *Eccleſ. VII, 30. Epheſ. IV, 24.* nullo modo ſtare potuiſſet.

§. XVI.

Neque tandem aliquis opinionem Almarici, qui, teſte *Cornelio a Lapide l. c.* nullam in ſtatu integritatis futuram fuisſe ſexus differentiam opinatus fuit, ſuo calculo probabit, atque ex ea hypotheſi pudoris abſentis rationem depromere audebit. Sacer namque codex expreſſe docet, quod DEUS maſculum & fœminam condiderit, *Gen. I, 27. II, 22.* volueritque, ut creſcerent ac ſe multiplicarent, *Gen. I, 28.* ac duo eſſent in carne una, *Gen. II, 24.* quod certe ſexus diverſitatem infert. Præterea ſi in ſtatu omnium perfectiſſimo, ſeu æternæ glorificationis, inter homines locum habebit ſexus diverſitas: vid. *B. Scherz. in Syſtem. Loc. XX. §. 4. p. m. 581. B. Hildebr. Inſtit. Sacrar. diſp. 7. §. 18.* quis eandem a ſtatu integritatis alienam eſſe cenſebit?

§. XVII.

His itaque ponderatis non abs re erit inquirere, num mulier ſtatim poſt eſum ex arbore vetita nuditatem ſuam ſenſerit, an demum, poſtquam maritum ſuum ad peccatum quoque pellexerat. Non defuerunt ſane, qui putarunt, mulierem ſtatim ac peccavit, transgreſſionis ſuæ malum atque infelicitatem, in quam delapſa erat, ſenſiſſe, ſed declarato aut diſſimulato hoc ſenſu noluiſſe ſolam eſſe miſeram, vel viro & poſteritati invidiſſe oppoſitam beatitatem. Quod videntur

eduxiſ-

eduxiſſe ex familiari peccantium praxi, qui alios quoque ad idem malum pellicere, ac aliis bonum quoddam invidere ſolent. Judæi, uti multis aliis rebus ſuas fabulas intermiſcent: ita nec hic idem facere intermittunt. Namque fabulantur, quod Eva certiſſimis indiciis cognoſcens ſibi moriendum eſſe, virum ſuum quoque voluerit mori, dixeritque ad eum, ſi mihi moriendum eſt, mecum moriaris oportet: & quod ipſa, cum Adamus conſtanter recuſaret eſum fructus ſibi ab uxore oblati, tandem avulſo ramo ſive baculo ex arbore tam diu maritum percuſſerit, donec comederit; Uti *ex Orach Chajim cap. II. narrat Joh. Buxt. Synag. Jud. c. XV.* ubi in rationem lucernarum Sabbathinarum a mulieribus accendendarum inquirit, conf. *Alexand. Roſſe* in ſeinem wunderwürdigen Jüden und Heyden Tempel. E contrario nonnulli cum *B. Auguſtino* exiſtimant, quod Eva Adamum triſtitia & mœrore, præ quibus nunquam tranquillo & hilari animo foret, niſi Adamus ipſe ederet, ad peccandum ſollicitaverit; atque tandem Adamus, ad avertendam Evæ triſtitiam, & ne contabeſceret ipſa prorſus, de fructu comederit vetito, referente Clariſſimo *Johanne Marckio Hiſtor. Paradiſ. L. III. c. 5. §. 4. & 5. p. 539.* Verum ego, quantum cum laudato viro conjicere valeo, rectius putaverim, Evam ad peccandum maritum incitaſſe non ex malo atque invido, tum in virum, tum in poſteritatem, animo, ſed ex affectu quodam conjugali, ut vir ſimul ſecum ſimilitudinis divinæ per uſum fructus particeps fieret. Vel non adeo improbabile eſt, Evam hoc ſvaſu dæmonis feciſſe, atque maritum ad edendum de fructu vetito permoviſſe. Locutus enim fuit ſerpens, obſervante *Pererio* apud *Marckium l. c. p. 541.* in plurali, dicens, ſi comederitis, & eritis, denuncians quaſi, non poſſe tantum bonum alteri ſine altero contingere. Evam vero ante Adami lapſum nuditatem ſuam, & reliqua, quæ per peccatum ſibi contraxerat, mala non noviſſe, ſatis clare *Moſes* innuit, quando poſt conſummatum viri

eſum demum utriusque tam mulieris, quam viri oculos refert apertos fuiſſe ad agnitionem ſuæ nuditatis, Gen. III, 7. Eſt interim hic merito adoranda divina providentia, per quam eousque Evæ peccantis oculi fuere cohibiti, ne transgreſſionis malum ſentiret, donec & ejus & poſteritatis omnis caput Adamus, ad peccati muliebris imitationem eſſet ſeductus. Vide ſis argumenta *B. Gerhard. Comm. in Gen. III, 7. p. 86.* quibus probat, Evam poſt commiſſum peccatum non prius ſenſiſſe ſuam confuſionem & nuditatem, quam Adamum ad peccandum induxerit.

§. XIIX.

Num Eva, ſi ſola peccaſſet, ſola quoque veſtibus uſa; an penitus extincta, aliaque uxor Adamo a Numine data fuiſſet, diſquirendum relinquimus iis, quibus curioſas ejusmodi, ſed inutiles plane, quæſtiones diſcutere vacat.

§. XIX.

Quamdiu in nuditate ſua glorioſa perſtiterint protoplaſtæ, incertum eſt, cum de tempore, quo ex arbore vetita comederunt, atque adeo in pœnas a DEO interminatas incurrerunt, e ſcripturis nihil certi conſtet. Unde autores in diverſiſſimas partes hic abire videas. *Cedrenus in Hiſt. Compend.* centum; *Moſes Barcepha de Parad. Part. I. fin.* triginta, *Judæi* quidam, præſertim *Cabbaliſtæ* apud *Hottinger. in Smegm. Oriental.* viginti annos a ſtatu integritatis ad ſtatum lapſus præteriiſſe aſſerunt. Nonnulli primævam parentum felicitatem ad longe brevius tempus reſtringunt, & ex iis quidam quadraginta dies juxta durationem jejunii Chriſti in deſerto, & Chriſtianorum annui apud *Moſem Barcepham* l. c. *Cæſarium dialog.* III. Alii adhuc multo pauciores dies à ſtatu integritatis ad ſtatum lapſus interceſſiſſe judicant, atq; in iis determinandis mirum in modum variant.

riant. Imo aliqui per horas tantum aliquot ſtatum integritatis duraſſe, & vel ſeptimo, vel ipſo ſexto die primæ ſeptimanæ hominem lapſum eſſe venditant. Ego hic mea facio verba *Merceri* l.c. dicentis: Sane veriſimile eſt, eos aliquamdiu,, ante peccatum in ea puritate perſeveraſſe, etſi alii volunt, vel, eo die, vel ſequenti ſabbatho deceptos & extruſos inde fu-,, iſſe. Id tamen, quia ſcriptura non exprimit, in medio relin-,, quo. Cui viſum fuerit plura de lapſus humani tempore legere, illi commendamus celeb. *Marckii* Tractatum laudatum *lib. 3. c. 8.* in quo prolixe atque erudite de hoc themate agit.

SECTIO II.
DE
NUDITATE HOMINIS
IN
STATU TRANSGRESSIONIS.

§. I.

POſtquam igitur peccatum corda hominum tetra labe infeciſſet, loco prioris *nuditatis honeſtæ, inculpatæ atque glorioſæ* ſucceſſit *nuditas turpis, fœda, probroſa atque irritatrix ad libidinem.* Ita enim Moſes *Gen. III, 7.* וַתִּפָּקַחְנָה עֵינֵי שְׁנֵיהֶם וַיֵּדְעוּ כִּי עֵירֻמִּם הֵם וַיִּתְפְּרוּ עֲלֵה תְאֵנָה וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם חֲגֹרֹת׃ *Et aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt, quod nudi ipſi, & conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi cinctoria.* De genuina vocis עֵירֻמִּם ſignificatione nunc ſolliciti ſimus, conſiderantes *nuditatisne*, an *ſapientiæ* atque *aſtutiæ* ſenſum ſibi hoc loco vindicet? quandoquidem vocis iſtius numerus ſingularis eſſe poteſt, tum ערום per Holem, tum ערום per Schureck, quorum illud juxta Lexicographos nudum, hoc vero callidum vel aſtutum denotat. Hic vocem ערמם non *ſapi-*

entem ſive *aſtutum*, etiamſi ob ſcientiæ a Satana aſtuto factum promiſſum heic alludatur; ſed nudum, cui veſtitus erat quærendus, notare, omnino ex rei probro atque corporis quæſito tegumento apparet. Quo ſenſu etiam occurrit hæc vox *Gen. II,25. & erant ambo* ערומים *nudi*, coll. *Gen. III,10.11.* Ubi obiter obſervari meretur Ebræos Myſterium in eo quærere, quod vox ערומים *Gen. II, 25.* in prima Syllaba absque litera Jod: *capite* autem ſequenti *III,7.* עירומם cum Jod litera reperiatur: Pandit nobis illud myſterium *Fagius* ad *Gen. III, 7.* ſcribens: *Obſerva vocem* עירומם, *quæ in præſenti loco plene ſcribitur cum Jod litera, ſupra vero in fine Cap.* II. *ubi nuditas illorum, qualis ante lapſum fuit, deſcribitur, defective ponitur; quod non caret emphaſi juxta Ebræorum ſententiam. Nam nuditas illorum illis tum non vitio erat, ut modo, ubi turpis eſſe cœpit propter concupiſcentiam ſeſe in membris eorum fœde exſerentem. Accedit ergo in* עירומם *Jod litera per Epitaſin & Auxeſin ad ſignificandam turpitudinem, quæ nuditati poſt peccatum acceſſit.* Quod ipſum Cabbaliſtarum myſterium quoque animadvertit, ac præter illud aliud adhuc in ejusdem vocis ſyllaba ultima, quæ *Gen.* II,25. cum Jod, ſubſequente autem *cap.* III, 7. ſine jod ſcribitur, obſervat *B. Walther. in Harm. Bibl. ad Gen.* III, 7. *p.* 73. & utrumque ſequentibus verbis exhibet: *Diſcrimen utriusque nuditatis Cabbaliſtæ in diverſa utrobiq; ſcriptione vocabuli Ebræi ſagaciter indagant, nam protoplaſti cap.* II. *vocantur* עֲרוּמִּים, *in cap.* III. *vero* עֵירֻמָּם. Hic *in prima ſyllaba litera Jod viſitur adjecta, quæ* ibi *deeſt. Quo putant ſignificari, ad nuditatem poſt lapſum acceſſiſſe turpitudinem. Viciſſim* ibi *Jod habetur in ultima Syllaba, quod* hic *omittitur: Quo ſubinnui cenſent, amiſſam eſſe per lapſum gratiam & imaginem divinam.*

§. II.

Diſpiciendum jam paulo curatius, qualis fuerit illa nuditas,

ditas, quam poſt delibatum ex arbore vetita fructum cognoverunt Protoplaſtæ noſtri.

§. III.

Quidam nuditatem ad ſignificanda generationi hominis ſervientia membra, quæ nempe homines demum ſeu rei, ſeu uſus & deſiderii reſpectu agnoverint poſt peccatum, referre voluerunt. Quam ſententiam non pauci ex Judæis cum Aben Eſra & Abarbanele amplectuntur. Quibus ſæpius judaizans *Grotius* accedit, *in Gen. III*, 7. ita commentatus: *Cumque cognoviſſent ſe nudos eſſe, id eſt, didiciſſent, quis maris, quis fœminæ uſus? Nuditas Hebræis τὰ γεννητικὰ, vid. 1. Cor. XII, 23.* Sed Reſp. (1) Cum primi homines, ut ſupra jam monuimus, perfecta rerum creaturarum ſcientia præditi fuerint, ignorare minime potuerunt, in quem finem membra illa, quæ genitalia dici ſolent, a DEO producta ſint, nec opus habuerunt, ut quis maris, quis fœminæ uſus, per peccatum demum addiſcerent. (2) Nullum locum e Scriptura S. adduci poſſe, ubi vocabulum concretum ערום de homine integro prædicatam in eadem ſignificatione occurrat. (3) Cum corporis totius nuditas externa per ſe nihil mali habeat atque probroſi, eademque jam ante lapſum obtinuerit, illius cognitio ex peccato minime ortum trahere potuit.

§. IV.

Doctiſſimus *Johannes Clericus* per nuditatem nihil aliud, quam peccatum ipſum intelligit, ſiquidem in *Gen. III, 7. p. 28. ſq.* ita commentatur: *Vox, qua Ebræi nudum ſignificant, eſt πολύσημος. Etenim* ערום *eſt ſupra cap. I, 25. ubi de nuditate Adami & Evæ ſermo eſt. Eadem occurrit c.* III, *1. ad calliditatem ſerpentis ſignificandam, commate proxime ſequenti, quod ſuſpicionem animo injecit, divinum ſcriptorem vocis ambiguitate veluti gaviſum, data*

opera

opera eam hoc in negotio uſurpaſſe. Qua in ſententia non parum confirmatum me ſentio, cum in animum revoco, tertium eſſe hujus vocis ſenſum, qui huic loco commatis 7. optime convenit. Quia qui nudus cernitur, pudore ſuffunditur; ideo, qui pudenda facit, nudus aut retectus dicitur. Ita Exod. XXXII, 25. Moſes narratur poſt conflatum & conſecratum vitulum aureum vidiſſe populum nudum פרע*, quia eum nudaverat Aaron inter hoſtes ſuos. Hinc & in Novi Fœderis libris* γυμνὸς *aliquoties pro peccatore ſumitur, Vid. Apoc. XVI, 15. Ita ſe nudos eſſe Adamus & Eva, h. e. ſe peccaſſe, animadverterunt. Ambiguitate vocis* ערום *uti pergit Moſes, adeo ut hic tertius ejus ſit, quo ea utitur, ſenſus intra paucorum commatum ambitum.* Reſp. Concedo clariſſimo Viro, quod nuditas improprie talis, quæ ſpiritualis â quibusdam appellari ſolet, ſive peccatum, in verbis ex *Gen.* III, 7 ſupra adductis, connotetur: aſt συνάφεια ipſius textus non admittit, ut ſola hic intelligatur, ſed omnino poſtulat, ut ſimul etiam proprie talis, quæ corporalis â quibusdam dicitur, hic attendatur. Id quod probe etiam advertit doctiſſimus *Marckius l. c. L. 3. c. 8. §. 4. p. 658.* ſcribens: *Si corporalis nuditatis notio plane deſeratur, atque eadem ad peccatum transferatur metaphorice, tollitur non tantum oppoſitio manifeſta ad nuditatem cum pudore non agnitam ante lapſum, ſed & connexio cum quæſito propter hanc nuditatis agnitionem tegumento ficulneo.*

§. V.

Nos itaque cum præſtantiſſimis Theologis per nuditatem â primis parentibus poſt lapſum animadverſam denotari putamus ſummam cum intellectus tum voluntatis corruptionem in locum deperditæ imaginis divinæ ſuccedentem, & per motus inordinatos in nudis eorum genitalibus ſeſe exſerentem.

§. VI.

§. VI.

In qua deſcriptione cum diximus nuditatem â primis parentibus poſt lapſum animadverſam conſiſtere in ſumma cum intellectus, tum voluntatis corruptione in locum deperditæ imaginis divinæ ſuccedente, nos ſeparamus ab iis, qui nuditatem in verbis Moſis tantum proprie talem, ſive phyſicam, ſubinnui cenſent, ſiquidem nullum corporis membrum per ſe eſt obſcœnum, & indiget, ut obtegatur. Namque craſſiſſimum errorem erravit *Soterinus Saturninus apud Gr. Abul-Pharajum â Celeb. Pocokio* verſum, qui membra genitalia in viris pariter ac fœminis â Diabolo producta, eamque ob cauſam veſtitu opus habere, nec digna aſpectu eſſe, cenſuit. Stolide etiam *Weigelius*, &, quos ſecutus eſt, Paracelſiſtæ docuerunt demum poſt lapſum protoplaſtis genitalia creviſſe, vid. *B. Kromayer. in Theol. Pol. Art. VII. Theſ. I. p. m. 327.* Quamvis vero ipſe Apoſtolus Paulus *1. Cor.* XII, 23. membra quædam corporis humani ἀσχήμονα inhoneſta ſeu indecora nuncupet, non cenſuit tamen iisdem in ſe & natura ſua ſpectatis aliquam turpitudinem ineſſe, ſed ex accidenti tantum competere. Optime *Chryſoſtomus:* ȣδὲν ἐν ἡμῖν ἄτιμον. Θεȣ͂ γὰρ ἔργον ἐςί. *Nihil in nobis inhoneſtum; quippe cum Dei opus ſit.* Unde nec membris generationi deſtinatis naturalis aliqua fœditas tribui poteſt. Sunt enim, ut recte idem *Chryſoſtomus* notat: πρὸς παιδοποιΐαν & ad generis noſtri διαδοχὴν utilia. Θεȣ͂ δημιȣργήματα. Quam ſententiam etiam non inconcinne expreſſit *Alcimus Avitus L.* II. *v.* 23.

Non natura hominis, vitium ſed cauſa pudoris.
Nam quæcunque bonus formavit membra creator,
Cur pudibunda forent?

§. VII.

Addimus porro in deſcriptione allata, quod corruptio, quæ in locum deperditæ imaginis divinæ ſucceſſit, per motus inordinatos in nudis eorum genitalibus ſeſe exſeruerit, ut diſceſſum faceremus ab iſtis, qui per nuditatem, quam protoplaſtæ poſt comeſtionem ex arbore vetita animadverterunt, nil niſi pecca-

tum

tum intellectum cupiunt. Quod enim phyſica nuditas hic ſimul ſubintelligenda ſit, ex eo ſatis clare patet, quod primi parentes, poſtquam animadverterunt ſe nudos eſſe, folia e ficu ſibi conſuerunt, & cinctoria ſibi fecerunt. Sola nuditas ſpiritualis, ſive peccatum, foliis ex arbore deſumtis certe contegi nequit.

§. IIX.

Hic non immerito quæritur, unde factum, quod protoplaſtas genitalium, & non æque aliorum membrorum, pudor ceperit, eaque contegenda eſſe ipſis ratio ſvaſerit.

§. IX.

Abſit, ut putemus homines integros genitalibus ſuis primum peccaſſe, atque agnito hoc ſuo peccato eadem contegere ſtuduiſſe. Impia enim & ad orcum merito releganda ſententia eſt Henrici Cornelii Agrippæ, qui in *declamatione de originali peccato, opp. part. poſter. p. 556.* aſſeruit, quod Moſes per parabolam, contemplationibus amicam, exponens lapſum primorum parentum nequam quendam dæmonem, callidum atque verſutum, ſaluti humanæ invidum, homini inhærere doceat, eundemque ſerpentem appellet, cujus fraude primi homines, & omnes, qui ex his geniti ſunt, immortalitatis beatitudinem amiſerunt. Hunc ſerpentem non alium arbitratur citatus *Agrippa*, quam ſenſibilem carnalemque affectum, imo ipſum carnalis concupiſcentiæ genitale viri membrum, quod Evam tentavit atque decepit. Hinc poſt aliqua interjecta *pag. 557.* addit: *Indignata & recedente divina luce, caſtitatisque ſpiritu, invaluit ſcientia carnis, in qua aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt malum. Quidnam cognoverunt? quidnam viderunt? Cognoverunt quidem malum ſuum, peccatum ſuum, mortem ſuam propter impudicitiam ſuam, & viderunt ſe eſſe nudos, & erubuerunt, & abſconderunt ſe a facie Domini, & abſconderunt membra, in quibus peccaverunt per impudicitiam, propter commiſſam libidinem erubuerunt & pudendis contectis puduit nuditatis.* Non abſimilem ſententiam fovet ſpurciſſimus *Adrianus Beverland*, qui in libro, quem ſub titulo: *Pec-*

catum originale κατ' ἐξοχὴν ſic nuncupatum, philologice προβληματικῶς elucubratum a Themidis alumno, in lucem publicam prodire juſſit, omnem movet lapidem, ut demonſtret, pudendis ſuis homines primos primum delictum commiſiſſe, omniaque, quæ de arbore ſcientiæ boni & mali, ejusdemque fructu & guſtu afferuntur, parabolice eſſe intelligenda. Sic enim ille *l. c. p. 31. Moſes juxta diſciplinam Ægyptiorum, ſicut Daniel, eruditus, teſtibus Stephano, Clemente Alex. & Juſtino Martyre, tecte & ænigmatice per arborem ejusque fructus & guſtum intelligit verenda ſive virilia Adami, & locos Evæ, per quos ſexus fœmineus ſobolem ſolet prodere.* Cujus abſurdam ſententiam refutavit celebris Batavorum Theologus, Leonhardus Ryſſenius, in epiſtola ad clariſſimum Lantmannum, quæ anno 1680. in 8vo prodiit.

§. X.

Multo rectius his ſpurcis ſcriptoribus ſentiunt, qui primos parentes inordinatis motibus, quos poſt lapſum in genitalibus, non æque in aliis membris, deprehenderunt, ad illa tegenda motos fuiſſe aſſerunt.

§. XI.

De tegumentis, quibus ad contegendam iſtam a ſe animadverſam nuditatem uſi fuerunt protoplaſtæ, nos informat Moſes, quando *Gen. III, 7.* pergit: וַיִּתְפְּרוּ עֲלֵה תְאֵנָה וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם חֲגֹרֹת׃ *Et conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.*

§. XII.

Ipſe *Clericus l. c. p. 29.* ſicuti per nuditatem a protoplaſtis poſt lapſum cognitam nihil aliud, quam ipſum peccatum, denotari judicat: ita verbis iſtis Moſaicis non veſtem, qua pudenda ſua texerint, ſignificari, ſed imagine veſtis ſcenam quandam foliis & ramis ficulneis tectam, in quam ſe abdiderunt primi parentes, adumbrari cenſet. Audiamus ipſum loquentem: *Pergit in eadem verborum ambiguitate Moſes, & quia modo dixit, primos parentes deprehendiſſe ſe eſſe nudos, eos inducit nunc quaſi Zonas ex arborum foliis ſibi facientes, cum, propter rationes modo allatas, veſtibus non magis rei facti, quam innocentes indiguerint. Credi-*

bile

bile eſt, ſub hiſce veſtibus, ſeu cingulis, aliquid aliud latere; nimirum ſcenam quampiam foliis & ramis ficulneis tectam, in quam ſe abdiderint, cui rei ſimile quiddam 8. commate narratur. Ac ſane חגרות, *quod perizomata vertimus, poteſt æque ac cingulum, quod corpori ſuperinjicitur, quidvis aliud ſignificare, quo circumdamur, quale eſt ſeptum, aut tectum. Hinc Tamuditæ Arabes* חגררן *aut* חגרון *habitacula ſua, quæ plerumque ſcenæ ſunt, vocitant, auctore Gieuhari, qui in Syria vixit. Ita cœperunt de fronde facere tecta, ut loquitur Vitruvius Lib. II. cap. 1. ubi Architecturæ initia eleganter deſcribit. Nec mira videbitur deſcriptio ſcenæ ſub imagine veſtis, ſi meminerimus Paulum 2. Cor. V. corpore, quod vocat σκῆνος, ἐνδύσασθαι nos dicere. Durius certe non eſt cingula ficulnea vocare ſcenas ficulneas, quam corpus humanum dicere ſcenam eſſe qua ſumus induti. Sed quare, inquies, tam dura phraſi uſus eſt Moſes, cum non deeſſet facilis & commoda ſi pro* חגורת *dixiſſet* סכורת? *Nimirum, quia de nuditate locutus eſt, metaphora, licet duriore, ex re cujus cogitatio eſt cum nuditate conjuncta, veſtibus, ſcilicet, petita eſt uſus. Ita in N. T. Chriſtus ex occaſione alicuius rei, cujus mentio injecta ab ipſo aut ab aliis, ad aliam tranſgrediens utitur tamen iisdem vocabulis, quæ priori conveniunt, nec poſſunt poſteriori niſi dure aptari. Johannis cap. VI. poſtquam de panibus, propter quos eum ſeqvuta multitudo erat, loqvutus eſt, ſemet ipſe panem vocat & quidem verum verſ. 32. qui vitam dat mundo, adeo ut niſi comedatur caro filii hominis, & niſi bibatur ejus ſanguis verſ. 53. nulla ſit in hominibus vita. Alia ſunt captatæ durioris, ex occaſione ſuperiorum ſermonum, metaphoræ exempla in Evangeliis.* Huc uſque Clericus, cujus integram commentationem in verba Moſis adduximus, ut, quæ mens ejus ſit, rectius capiatur. Sed cum illius expoſitio, ut cuilibet ad oculum patet, contorta ſit, ac inſuper falſæ & a nobis in antecedentibus refutatæ hypotheſi, quod nulla plane corporea nuditas hic ſit intelligenda, unice ſuperſtruatur; merito communem & a plerisque interpretibus Chriſtianis receptam, nec non ſacro textui multo convenientiorem retine-

mus

mus interpretationem, aſſerimusque, primos parentes ex foliis ficus perizomata, quibus pudenda ſua tegerent, ſibi confeciſſe.

§. XIII.

Cur autem a protoplaſtis ficus, non alius arboris, folia, e quibus ſibi tegumentum pararent, electa fuerint, non pauci ſcriptorum inquiſiverunt. In *Breſchis Rabba* fabulantur Judæi de arboribus nolentibus Adamum lapſum recipere, & dicentibus: *Ecce fur, qui furatus eſt ſcientiam Creatoris ſui, ſicut dictum eſt Pſ. 36, 12. non veniet ad me pes ſuperbiæ, pes illius, qui ſuperbivit contra Creatorem ſuum, & manus impiorum non concutiet me, non excerpet ex me nec unum folium. Dum ficus, quia comederat de fructibus ſuis, aperuit ramos ſuos & ſuſcepit eum &c.* At putaverim ego, lapſos illos vix auſos fuiſſe rurſus hancce arborem attingere, perpendentes, quantum malum ex uſu hujus arboris ſibi acciderit. Probabile igitur eſt, ficus folia prima fuiſſe, quæ ipſis occurrerunt ad nuditatem tegendam apta propter latitudinem & flexibilitatem ramuſculorum. De latitudine foliorum in ficubus ad uſum veſtimentorum idoneorum conf. *Plinius L. XII. c. 5. p. 563.* affirmans ficus Indicas ferre folia peltam Amazonicam æquantia.

§. XIV.

Quoniam autem hæc ficus folia ad frigus pellendum & ad pluviarum, æſtus, ventorumque injurias propulſandas non ſufficiebant, ac vix veſtimenti nomine digna erant, magna notanda eſt DEI benignitas, qui præcepti ſui transgreſſores, nuditatis pudore affectos, alio veſtimenti genere circumdare voluerit. *Gen. III, 21. Fecit DEus Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas.* Tunicas fuiſſe, de hoc forſan, nemo dubitabit; ſi excipias Judæos, qui inter alia ſomniant Adamum & Evam initio tantum ex oſſibus & carne compoſitos fuiſſe, Deum vero poſtmodum iis obduxiſſe cutem, eamque tunicam pelliceam vocari, vid. *B. Carpz. l. c. 359.* & allegoriſtas, qui per tunicas pelliceas carnalia ac mortalia corpora, quibus poſt offenſam & e-

jectionem e Paradiſo Adam & Eva induti fuerint, intelligenda eſſe cenſent. Confer *Sixtum Senenſem in Bibliotheca Sancta lib. 5. annot. 53. ſq. p.m. 433. ſq.* An vero Deus ipſe immediate has veſtes ex pellibus fecerit, an tantum fieri juſſerit, jam olim agitata fuit quæſtio. Origenes atque Pererius putavit, quod DEus tantum, ut facerent ſibi homines veſtes, juſſerit, atque induſtriam ipſis contulerit, quia alias ridiculum eſſet, ex Deo facere pellionem. Rectius autem mihi ſentire videntur illi, qui DEum ipſum immediate has veſtes feciſſe ediſſerunt. Nam ſi Moſes docere voluiſſet, homines ipſos veſtes ſibi feciſſe, verbis clarioribus id explicaſſet; quemadmodum antea dixerat, illos ſibi feciſſe ſubligacula. De modo, quo Deus veſtes illas confecerit, non erimus ſolliciti, cum Scriptura S. illum non revelaverit: certi tamen ſumus, quod illæ modo Deum decente confectæ fuerint. Nolumus plura de tunicis primorum parentum pelliceis afferre, cum multa de hac materia apud Braunium de veſtitu ſacerdot. Hebræorum L. I. cap. IV. p. 80. ſqq. *B. Urſinum in Analect. ſacr. volum. I. lib. 6. c. 15. p.m. 333. ſqq.* exhibeantur, ac præterea peculiares diſputationes & Altorffii 1675. a *M. Nüchterlein*, & Wittebergæ a. 1680. a *M. Joh. Helv. Willemero* de hoc argumento habitæ fuerint.

§. XV.

Qvoniam autem benigniſſimus Deus ob nuditatem veſtes ordinavit, dupliciter contra illam ordinationem peccatum committitur, partim, quando nuditas noſtra veſtibus nimis ſplendidis exornatur, partim quando veſtium omnium rejectione corporis nuditas publice exponitur.

§. XVI.

Peccatum, inquam, committitur contra hanc de veſtibus Dei ordinationem, quando nuditatem noſtram veſtibus multa arte & pretio comparatis exornamus, atque in iiſdem ſuperbimus, cum tamen Deus veſtes non ad ornatum, ſed ad tegendum pudorem dederit. Veſtis enim luculentiſſimum peccati teſtimonium eſt, ſignum ſceleris, ſervitutis atque perfidiæ, ut

quo-

quotieſcunque veſtes noſtras aſpicimus, rebellionis atque perfidiæ in DEum admoneamur, *vid. Braun. l. c. L. I. c. I. §. I.* Unde Ebræi & veſtem, *Lev. XIII, 47. 2. Reg. IX, 13.* & perfidiam, *Eſ. XXIV, 16. Jer. XII, 1. 2.* uno vocabulo, בגד a בָּגַד prævaricatus fuit, deſignant, atque ea homonymia indicant ob prævaricationem & perfidiam veſtes fuiſſe quærendas. Qualis igitur inſania eſt veſte tanquam ſigno perfidiæ ſuperbire? Rectiſſime inde *Chryſoſtomus Hom. XIX. in Gen.* de cupidine exornandi ſe veſtibus judicat: *Quare, dic, obſecro, corpus ita ornas & gaudes ejuſcemodi amictu? Non cogitas, quod pro magno ſupplicio propter transgreſſionem tegmen hoc excogitatum eſt.* Ac *B. Calovius Comm. in Gen. P. II. c. III. 21. p. 435. ſqq. Turpe eſt*, inquit, *plus honeſtatis & decoris eſſe in fœda pelle bruti animalis, quam in nuda cute hominis, qui tanta majeſtate fuit conditus. Sed longe turpius eſt, quod notam ignominiæ convertamus in materiam ſuperbiæ.* Et paulo poſt: *qui oſtendit ſe veſtimento, oſtentat ſe cauterio.* Ex his atque ſimilibus videre licet, quam enorme peccatum ſit nuditatem corporis nimis ſplendido amictu exornare.

§. XVII.

Quantopere autem veſtium luxui indulgentes divinæ de veſtibus inſtitutioni contrariantur; tantopere etiam peccant illi, qui omnes veſtes plane negligunt, ac corpora prorſus nuda exhibent. Taxanda autem venit ejusmodi probroſa nuditas tum in Gentilibus, tum in Chriſtianis.

§. XIIX.

Gentiles uti ſæpe Deos ſuos cum in templis tum in publico nudos collocarunt: ita & ipſi aliquando nudi ſacra peregerunt. Quod pluribus oſtenſum vide *a Braunio de veſtitu Sacerdotum Ebræorum l. I. c. 1. p. 4. ſqq.*

§. XIX.

Non modo autem in ſacris celebrandis, ſed aliis quoq; negotiis perficiendis corpora ſua gentiles denudaſſe legimus. Deprehendimus enim hanc conſvetudinem locum habuiſſe in Gymnaſiis, in quibus exercendi veſtes exuebant. Unde *Martialis l. 3. epigram. 68.* ad matronam pudicam:

Gy-

Gymnaſium, thermæ, ſtadium eſt hac parte; recede,
Exuimur, nudos parce videre viros.

Vide D. Joh. Philippum Pfeifferum Antiquit. Græcarum lib. 2. c. 61. Plato præcepit non puellas modo, verum etiam aniculas mulieres nudato corpore proponi coram judice, ut judex inſpiciens judicet quænam ætas celebrandis nuptiis apte conveniret. Quam Platonis legem merito reprehendit *Theodoretus in Græcar. affect. curatione ſerm. 9. p. m. 129.* De Floralibus ludis ſcribit Lactantius divin. inſtit. l. 1. c. 20. p. m. 24. *celebrantur illi ludi cum omni laſcivia convenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obſcœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam veſtibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio, & in conſpectu populi uſque ad ſatietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur.* Adde *Tertull. lib. de ſpectacul. c. 17. Senecam epiſt. 97. Valer. Maximum l. 2. cap. ult. Roſin. antiq. Rom. l. 5. c. 15. & Demſter. in paralip. ad ejusd. l. 2. c. 20.*

§. XX.

A moratioribus ad barbaros gentiles ſi oculos flectimus, magnum eorum, qui nudi incedunt, catalogum texere poſſemꝰ. Ex Aſiaticis occurrent nobis *Guzurattenſes*, apud quos, referente *Hoornb. de Converſ. Indorum l. 2. c. 8. p. 167.* ex pœnitentia vel ſtudio quaſi ſingularis perfectionis & mortificationis, uti Hindoi & Avadoutæ in regione Cormandel, Braminum multi, nuditatem affectant, velamine aliquo forte obductis, non autem ſemper, pudendis. De Avadoutis confer *Rogerum* in der offenen Thür zum Heydenthum p. 49. ſeqq. ubi refert multos eorum prorſus nudos, ut ex utero matris egreſſi fuerint, obambulare. In Africa ſe nobis offerunt Gvineenſes, qui toti nudi ſunt, ut valde admirati fuerint, cum cernerent homines veſtibus indutos, vide *Hoornbeck. l. c.* Sic in quibusdam partibus regni Abyſſinorum plebejæ fœminæ omnibus partibus nudæ obambulant, teſte *Fr. Alvarez in deſcript. Æthiopiæ c. 32.* Quidam etiam incolæ inſulæ Moſſambique absque omni corporis tegumento conſpiciuntur, vide de *Bry Ind. oriental. part. 2. cap. 41. p. 122,* item *Dapperi Africam p. m. 645.* Longe

ma-

major prorſus nudorum hominum copia in America obſervatur. Deprehendimus ibidem incolas Pariæ; vid. *Dapperi Americam l. 1. c. 3. p. 60.* & *de Bry Americ. part. 10. p. 5. & 12.* Floridæ; *Dapper. l. c. l. 2. c. 5. p.* 166. Cubæ; *Dapper. l. c. p. 175.* juxta relationem autem *de Bry part. 2. p. 4. & part.* 4. Floridæ & Cubæ incolæ non toti nudi, ſed circa pudenda tecti incedunt; Kanibalos ſeu Karaibanos; *Dapper. l. c. cap. XI. p. 200.* Veteres novæ Hiſpaniæ incolas; *de Bry l. c. part. 9. p. 279.* ſed hos pelle cervina pectus obductos fuiſſe, tradit *Dapper. l. c. c. 15. p. 288.* Braſilianos; de *Bry l. c. part. 3.* quod ſigillatim de Wajanaſſeris & Topinakeris itidem perhibet *Dapper. l. c. l. 3. c. 4. p.* 415. de Tououpinambaultiis, *Lerius Indiæ Occid. tom. 2. p. 94. ſqq.* Magellanicæ regionis incolas ſine diſcrimine prorſus nudos refert *de Bry l. c. part. 9. p. 32.* Dapperus a. *l. c. c. 10. p. 648.* viros ſaltim plane nudos, fœminas autem corio circa pudenda tectas notat.

§. XXI.

Verum non modo Gentiles, ſed ipſosmet Chriſtianos circa nuditatem variis modis peccare deprehendimus.

§. XXII.

Primum taxandos eſſe cenſemus, qui ſtatuas picturasque hominum nudas effingentes magnam laſciviæ feneſtram adaperiunt, libidini in aliorum cordibus excitandæ occaſionem ſuggerunt, atque adeo piis ac honeſtis animis ſcandala præbent, contra ſeveram Chriſti comminationem, *Matth. XIIX, 7. Væ homini illi, per quem offendiculum venit.*

§. XXIII.

Dein notandi quoque ſunt, qui turpiſſimam poſt lapſum nuditatem defendunt, ac probare ſatagunt. Quemadmodum muliebris nuditatis patrocinium ſuſcepit pſeudonymus quidam ſcriptor, (vide de eodem *Morhof. in Polyhiſt. l. 1. c. 8. p. 76. ſq.*) cujus verba in *diſp. Juridica* A. 1692. Jenæ ſub præſid. *Dn. D. Pauli Heinr. Tilememani de eo, quod eſt juſtum circa nuditatem*, habita; *ſect. I. §. 5. p. 16. ſq.* exhibentur. Nec ab omni culpa abſolvendus *Autor de principiis juſti atque decori*, qui *p. 6b.* atque alibi ita loquitur, ac ſi abſolute atque in ſe indifferens hodie adhuc exiſteret, homi-

mineſque ideo tantum eam defugiant, quia aliquam infirmitatem & imperfectionem arguat, quam quis a ſe longiſſime abeſſe in votis habeat. Cujus ſententiam cum Excellentiſſimus Dn. Prof. *Hardtius*, Præceptor meus ſuſpiciendus, *in diſp. philoſ. altera de nuditate hominum A. 1684. habita*, erudite jam diſcuſſerit, plura addere nolo.

§. XXIV.

Graviſſimam tandem cenſuram merentur, qui nuda corpora oſtentare non erubeſcunt. Ad quorum claſſem referendi ſunt Adamiani, utpote de quibus refert *Auguſtinus de hæreſibus c. 31. opp. Tom. VI. p. m. 18.* quod Adami (primi hominis) imitentur in Paradiſo nuditatem, quæ fuit ante peccatum. Unde & nuptias averſentur, quia nec prius, quam peccaſſet, nec prius, quam dimiſſus eſſet de Paradiſo, cognoverit uxorem: nudi mares fœminæq; conveniant, nudi lectiones audiant, nudi orent, nudi celebrent ſacramenta, & ex hoc ſuam interpre[illegible]ur eccleſiam. De iisdem refert *Epiphanius hæreſ. 82. p. m.* 459. quod eccleſias, ſive latibula potius ſua, in hypocauſtis i. e. in locis, quæ ſubtus incenduntur, habeant, quilibet eorum foris ante ingreſſum in hypocauſtum deponat veſtimenta omnia, ſive vir fuerit, ſive mulier, ſive doctor, ſive auditor, & ingrediatur nudus toto corpore, veluti qui ex utero matris egreditur. Si quis ex illis in culpam aliquam lapſus videatur, ille non amplius in congregationem admittatur, ſed tanquam alter Adamus, qui de ligno comederat, ex ipſorum eccleſia, tanquam e paradiſo, exterminetur. Conf. de iisdem quoque *Damaſcenum de hæreſib. Opp. p. 579.* Autor hujus hæreſis fuit Prodicus juxta *Theodoretum L. I. c. 6.* Unde & Prodiciani nuncupati, teſte *Danæo Comment. in Auguſt. loc. cit.* Prætextus eorum fuit imitatio puritatis Adamiticæ ante lapſum; ſed praxis ipſa illos ad vagas duxit libidines, & ſic opprobriis Chriſtianorum veterum occaſionem peſſime dedit. *Vid. Theod. l. c. Damaſc. Hær. c. LI. conf. itid. Magnif. Dom. D. Ittigius*, Patronus atque Præceptor meus ſummopere devenerandus, *in diſſert. de Hæreſiarchis primi & ſecundi ſeculi. c. IV.* Hanc Adamitarum ſectam prius extinctam Priſcillianus quidam circa annum Dom. 380. ſub Gratiano & Theodoſio innovare ſtuduit,

duit, teſte *Sever. Sulpit. Hiſt. Sacr. L. II. c. 50. p. 168. edit. Vorſtianæ.*

§. XXV.

Recentiorum Adamitarum mentionem facit *Æneas Sylvius Hiſt. Bohem. c. 41. ſq.* qui anno circiter 1420. in Bohemia vixere, atque Piccardi dicti fuerunt juxta quosdam a Piccardo quodam ex Gallia Belgica, transmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiam penetrante, qui aſſumto nomine Adami ſe DEI Filium mentitus eſt, atque præſtigiis quibusdam fidem ſibi concilians brevi tempore multos ſibi aſſeclas conciliavit, eosdemque Adamitas nominari voluit. Hi in inſula quadam Danubii, ut protoplaſtarum ſtatum accuratius exprimerent, nudi incedebant, promiſcuis connubiis indulgentes. Nefas tamen erat ſine juſſu Adami cum muliere rem habere. Hinc quotiescunque quis libidine incenſus in aliquam exarſerat, eam manu apprehendens ſic Adamum alloquebatur: *In hanc ſpiritus meus concaluit.* Cui Adamus, *ite*, reſpondit, *creſcite, multiplicamini & replete terram.* Conf. *Natal. Alex. Hiſt. Eccl. Sec. XV. & XVI. P. I. p.* 405. & *Dom. D. Rechenbergerum*, Patronum & Præceptorem meum maxime colendum, in *Compend. Hiſt. Eccl. Period. IV. c. V. ſec. XV.* §. *41. p. m.* 495.

§. XXVI.

Quibus annumerandi novi Adamitæ ante ſeculum, & quod excurrit, in colluvie Anabaptiſtarum exorti, & Antvverpiæ, Amſtelodami alibique reperti, in quorum ſocietatem nemo recipiebatur, niſi prius exutis veſtibus ſe nudum congregationi ſtitiſſet. Ita enim de iis *Rivetus Exercit. 27. in Gen. Opp. T. I. p. 111. Maſculi*, inquit, *cogebantur nudi inſtar Adami ante lapſum per integrum horæ ſpatium in media virorum, mulierum & virginum turba obambulare; ſi, hora elapſa, bona conſcientia, ſcilicet, affirmarent, ſe absque carnis tentatione manſiſſe, ab Adamitis ut dono continentiæ præditi recipiebantur, ſin minus, repudiabantur.*

§. XXVII.

Neque ſilentio hic prætereundus eſt Henricus Nicolai, Monaſterio-Weſtphalus, qui circa annum 1556. familiam charitatis inſtituit, atque docuit charitatis eſſe, quid liber ſive agere ſive tolerare, ita quidem, ut neque ſe denudare coram ſociis pudeat. Vide *Calvorium in fiſſuris Sionis Lib. 16. cap. 5. §. 3. p. 466.*

§. XXIIX.

Quam graviter autem peccent omnes, qui ſponte ſua ac præter neceſſitatem corpora ſua denudant, ut probem, ordo a me jam poſtulat.

§. XXIX.

Notanter autem dico graviter peccare, *qui ſponte ſua ac præter neceſſitatem corpora ſua denudant.* De iis enim, qui per violentiam, ignorantiam, aut neceſſitatem quandam prorſus nudi, aut certe quoad membra, quæ natura tegi vult, denudati apparent, mihi jam ſermo nullus erit.

§. XXX.

In prima claſſe, ſeu eorum, qui per violentiam quandam denudati ſunt, primū locum merito adſignamus *optimo Salvatori*, qui in flagellatione ſe prorſus denudari a militibus paſſus fuit. Quamvis enim apud Judæos in flagellatione pectus tantum denudaretur; apud Romanos tamen flagellandus totum corpus, ne verendis quidem exceptis, denudare cogebatur. Vide *Caſp. Sagitt. Harm. Paſſion. Chriſti part.* 2. *c.* 9. §. 124. *ſqq p.* 589. *ſq.* Cum itaque extra dubitationis aleam ſit poſitum Chriſtum a militibus Romanis more Romanis uſitato flagellatum fuiſſe, inde colligimus, Chriſtum etiam denudato penitus corpore verbera excepiſſe. Unde ap. modo laudatum *Sagittarium l. c.* §. *127. p.* 590. *ſq. Brigitta Revelat. L. I. c. 10.* Mariam ſic loquentem inducit: *Ibi alligatus nihil omnino operimenti habebat, ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat & patiebatur, erubeſcentiam nuditatis* &c. *c. 27. Videbam filium meum charisſimum & potentisſimum aſtare ad columnam nudum & nihil operimenti habentem, & L. IV. c. 70. toto corpore nudus erat, cum flagellaretur.* Hanc quoque communem omnium opinionem eſſe ait *Franciſcus Svarez in Comment. ad. P. III. Thomæ. T. II. quæſt. XLVI. diſp. 39. ſect. IV.* Conf. *Vosſius in Harm. Evang. l. 1. c. 5.* §. *14. p. 233.* §. XXXI.

§. XXXI.

Utrum vero Redemptor noſter unicus in ligno crucis etiam corpore prorſus denudato animam ſuam exhalarit, non una omnium eſt ſententia. Ex *Joh. Molano Lib. 4. de hiſtoria ſanctarum ima-*

imaginum & picturarum c. 4. diſcimus, arridere quibusdam eam ſententiam, quæ aſſerit Chriſtum verenda linteo contectum fuiſſe. Sic enim ap. illum *Brigitta l. 4. Revelat. c. 70. Mox juſſus veſtes ponit, parvumque linteum verendis prætexit. Dialogus* quidam, qui inſcribitur Mariæ & Anshelmi de *pasſione Domini*, ita habet, loquente Maria: *panniculum capitis mei circumligavi lumbis ejus. Franciſcus Polygranus de pasſione Domini art. 14. nudus*, inquit, *crucifixus eſt CHRISTUS, quanquam pium opinor credere, obſequio alicujus velata pudenda: tum quod natura horreat hoc facinus; tum quod Chriſtus ipſe, in cujus erat voluntate, quod pateretur, coram caſtisſima matre aliisque ſanctis mulieribus, non credendus eſt invelatus voluiſſe apparere.* Vide etiam, quæ, referentibus *Vosſio Harmon. Evangel l. 2. c. 7. §. 3. p. 264.* & *Sagittario l. c. c. XI. §. 51. p. 763.* ad ſuperiorem Brigittæ locum fuſe annotavit *Conſalvus Durantius*, qui propter Brigittæ autoritatem, & alia quædam, arbitratus eſt, Chriſti verenda linteo contecta fuiſſe. Non negat equidem morem fuiſſe prorſus nudos cruci affigere, ſed addit, Chriſti paſſionem fuiſſe voluntariam, nec alia pati decreviſſe, quam quæ decerent: propterea vitaſſe, quicquid honeſtati repugnaret, quale fuiſſet, ſi prorſus nudus a matre & aliis fœminis conſpiceretur. *Daniel Malonius ad Paleot. de ſacra ſyndone c. 6. ap. B. Clozium de cruciatibus animæ Jeſu Chriſti Conſid. 4. §. 2. p. 59.* ſtatuit, Chriſtum quidem nudum ſtetiſſe, poſtea vero jam velatum verenda cruci affixum fuiſſe. Quid quod *Aquisgranenſes* audeant oſtendere velamentum iſtud, quo verenda CHRISTI contecta fuerunt, cum ipſe in cruce penderet. Nonnulli & quidem, e Pontificiis *Alphonſus Toſtatus Paradox. V. c. 42. Salmero Tom. X. Tr. 35.* e noſtris *B. Gerhardus in Harm. Evangel. cap. 198. p. 1955.* non ſolum verenda, ſed integram corporis Chriſti partem inferiorem femoralibus contectam fuiſſe aſſerunt. Magis tamen ad veritatem accedere videntur ii, qui Chriſtum penitus nudum, ac ne verenda quidem velatum, in cruce pependiſſe propugnant. Pro qua ſententia urgent laudati Duumviri *Vosſius l. c. p. 262. Sagittar. l. c. §. 58. ſq p. 761. ſq.* primum veterum morem, qui maleficos nudos ſolebant crucifigere, eamque in rem provocant ad *Arte-*

midori Oneirocriticῶν lib. 2. c. 58. Arriani diſſert. in Epictet. l. 4. c. 26. S. Pionii Acta. Dein conſenſum Patrum pro ſe allegant, atque obſervant, quod *Ambroſ. Lib. X. in Lucam* necnon *Heſychius homilia de S. Andrea* nuditatem Adami in Paradiſo viventis cum Chriſti nuditate componant: & quod *Auguſtinus L. XVI. de Civ. Dei c. 2.* necnon *lib. XII. contra Fauſtum c. 23.* Chriſtum cruci affixum cum Noe Domi ſuæ nudato conferat. Nec eſt, ut quis cum *Conſalvo Duranto* excipiat, Patres eos, qui ajunt Chriſtum fuiſſe nudum, intelligendos eſſe de nuditate ea, qua quis nudus dicitur, cum veſte eſt a latrone ſpoliatus, utcunque ſit genitalia contectus: perizoma enim, ſive ſuccinctorium, non cenſeri in veſte, ut ex Iſiodoro, Gloſſa interlineari & Lyrano conſtet. Ad idem enim reponunt, diverſam fuiſſe Patrum opinionem, ex eo eluceſcere, quod dicant, Chriſtum ſic nudum fuiſſe, uti naſcimur nos: atque uti Adamus fuit in paradiſo: uti item cœlos petimus. Ad id vero, quod nonnullis improbabile videtur, Chriſtum ipſum, apud quem ſtetit, quæ pati vellet, permiſſurum fuiſſe, ut coram matre aliisque ſanctis fœminis invelatus penderet; reſpondetur (α) non recuſaviſſe Chriſtum tam contumelioſam denudationem, ut nobis ſummum honorem in cœlis repararet, ac ſtolam juſtitiæ ac immortalitatis amiſſæ recuperaret. (β) bene cogitandum eſſe, quid e gentilibus Livia Auguſta dixerit, cum in anguſta via obviam veniſſent, qui ad ſupplicium prorſus nudi raperentur: nempe ajebat illa, *non magis horum viſu ſe moveri, quam cum conſpiceret nudas ſtatuas.* Vide *Dionem Caſſium lib. 58. p. 618.* (γ) ſi, quod *Bonaventura* notat in *p. 3. diſp. 3. p. l.* & *Thomas quæſt. I. a. 2.* ait B. Virginis ſpecioſitas, etſi ſumma, ex ſingulari Dei providentia, neminem unquam provocavit ad libidinem, tanto magis idem de Chriſti carne infinitis modis ſanctiori, & ab omni prorſus peccato impolluta judicandum eſſe; uti monet B. *Clozius l. c.*

§. XXXII.

Ad primam claſſem referendi quoque ſunt beati Martyres, quorum non pauci nudato corpore ad mortis ſupplicium rapti fuerunt. Memorabile admodum exemplum exhibet *Baſilius Magnus Tom. I. opp. p. 397.* de quadraginta militibus, qui cum ne

po

pollicitationibus, nec comminationibus ad deſerendam fidem Chriſtianam induci poſſent, in ſtagnum, cui ſæviente intenſæ hyemis frigore glacies obducta erat, nudatis corporibus abacti, atque in illo diram obire mortem coacti fuerunt.

§. XXXIII.

Ad alteram claſſem, quam nudi ex ignorantia conſtituunt, pertinent partim ii, qui ab aliis inſcii denudantur; quales ſunt infantes, quos nudos faſciis involvi conſtat: mortui, qui nudi ablui ſolent, antequam eorum corpora habitu ferali contegantur: vel etiam nudi in theatro anatomico ſpectantium oculis exhibentur: partim qui ſe ipſos nudos ſiſtunt; cujus generis ſunt ſomno dediti, mente capti, morbis acutis vexati, ſummo terrore occupati, quos ſæpe nudos ſpectari novimus.

§. XXXIV.

In tertia claſſe, quæ nudos ex neceſſitate ſiſtit, collocandi ſunt primum, qui malo quodam phyſico impulſi membra jure alias tegenda retegere non dubitant, quemadmodum fœminas difficiliori partu laborantes, in locis ſecretioribus vulneratos, aut morbo quodam affectos pudenda ſua coram aliis nudare, in vulgus notum eſt. Deinde hic locum quoque inveniunt, qui juſſu Magiſtratus verenda ſua quandoque denudare coguntur. Confer hic omnino ſupra citatam *diſp. Juridicam de eo, quod juſtum eſt circa Nuditatem ſect. 2. cap. 3* §. 4.

§. XXXV.

Ad tertiam iſtam claſſem commode etiam referri poſſe videntur βαπτιζόμενοι veterum, qui, Chriſti exemplo moti atque more ab eccleſia Chriſtiana recepto compulſi, corpore penitus nudo aquis immergebantur, adeo ut ne faſciam quidem, (qualem pictores honeſtatis cauſa appingere ſolent) obduxiſſe partibus pudendis videantur. Quod Chriſtus nudus baptiſmum ſuſceperit, nos docet *Anſhelmus in Matth. III.* diſerte ſcribens: *Plures cauſæ ſunt, quare Chriſtus ad baptiſmum acceſſit: primo, ut exemplo nos invitaret; ne quis forte ab inferiori baptizari, vel in conſpectu hominum denudari erubeſceret.* Et poſt aliqua: *Vocatur ergo conſummatio juſtitiæ: ad quã Dominus volens homines invitare, ne ab inferiori dedignentur*

tur baptizari,vel in conſpectu hominum denudari;ideo vult exemplo docere, quid alios,oporteat facere,ut nullus poſt eum erubeſcat. Morem autem baptizandi nudos non ſolum in Græca,ſed etiam Latina eccleſia obtinuiſſe,non uno confirmari poteſt teſtimonio: *Cyrillus Hieroſolym.catech.Myſtagogica II* ſcribit: *Statim igitur,ut ingreſſi eſtis*, (ſc.aquam) *veſtem exuiſtis: Dionyſius Areopagita de Eccleſ. Hierarch. cap. de Baptiſmo* ait: *cum plane veſtes miniſtri detraxerint*(ſc.baptiſando)*tunc ſacerdotes ſacrum unctionis oleum offerunt. Ambroſius ſerm. 10.* inquit: *nudi accedimus ad lavacrum, ut nudi quoque & expediti ad cœli januam properemus: quam autem incongruum eſt, ut quem nudum mater genuit, nudum ſuſcepit eccleſia, dives velit intrare in eccleſiam.* Locum autem habuit hæc omnimoda baptizandorum denudatio non modo in infantibus, verum & adultis viris, atque ipſis mulieribus Infantes nudos baptizatos fuiſſe,ex *Gregorii Magni ſacramentario, Tom. 2. liturgicorum Pamelii col. 269. Ordine Romano cap. de die ſabbathi S. Paſch. in Auctar. Bibl. Patrum col. 82. ſq.* & *Alcuino lib. de divin. offic. cap. 19.* colligi poteſt. Viros adultos baptiſmi lavacro nudos uſos fuiſſe, Conſtantinus M. ac S. Baſilius ſuis exemplis probant. De illo enim *Metaphraſtes in vita S. Sylveſtri* ſequentia habet: *Hæc cum audiviſſet Imperator, & latus probrum carnis ſubjeciſſet oculis, & unctus fuiſſet ſancto chriſmate, ingreſſus eſt piſcinam.* De iſto autem nos *Amphilochius in ejus vita* certiores reddit. Hanc denudandi conſvetudinem obſervatam etiam fuiſſe in baptismo mulierum, videre licet ex iis, quæ *Chryſoſtomus in Epiſtol.ad Innocentium Papam* contigiſſe narrat, cum Theophilus, Epiſcopus Alexandrinus, tumultum civiſſet, ut Chryſoſtomum ex eccleſia ejiceret. Ubi inter alia inquit: *Mulieres, quæ intra eccleſiam, ut baptizarentur, ſeſe veſte nudaverant, per id temporis nudæ fugiebant, metu acerbiſſimæ hujus commotionis impulſæ: neque ſexus verecundiæ & boneſtati permittebantur præ pavore conſulere.* Fœminarum tamen pudori plerisque in locis miniſterio mulierum conſultum fuit. Adeo autem tenaces fuerunt in denudandis βαπτιζομένοις, ut etiam in carcere conſtitutos, imo maxime infirmos atque morti propinquos oportuerit veſtes deponere, quemadmodum de illis *Surius in vita Marcelli*: de his autem *antiqui Manuſcripti codices de geſtis Sancti Sebaſtiani* apud Surium nos edocent. Moris hujus baptizandi nudos variæ a variis adducuntur cauſæ: Nonnullis videtur

hoc

hoc factum eſſe ad ſimilitudinem Chriſti, qui pro hominibus nudus paſſus eſt, aliquo modo exprimendam. Cognoſcere hoc licet *ex S. Cyrill. Hieroſol. Catech. II. Myſtag.* ubi: *Atque ita exuti eratis nudi, imitantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Chriſtum*; vel ad recolendam feliciſſimi ſtatus, in quo primi parentes fuerunt, memoriam; *O rem admirandam!* inquit idem *Cyrill. l. c. Nudi fuiſtis in conſpectu omnium, nec vos pudebat: Revera enim in hoc protoplaſtæ Adami ferebatis exemplum, qui nudus in Paradiſo fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore*; a quibusdam hæc conſvetudo introducta putatur, ad innuendam veteris hominis depoſitionem. Idem perhibet *Amphilochius in vita S. Baſilii* ſcribens: *Petebat a Deo aliquod ſuæ fidei ſignum oſtendi: ſurgensque cum tremore, ſuis ſe veſtibus ſpoliat, unaque cum veſtibus veterem exuit hominem.* Conf. *Chryſoſt homil. 6. in cap. II. ad Coloſſ. Dionyſ. Areopag. l. c.* Duravit hic nudos baptizandi mos in occidente usque ad Bernhardi tempora, poſt quæ, ſuccreſcente tam ſacerdotum, quam aliorum malitia, propter ſcandali periculum ſublatus fuit. Hæc de nudorum baptiſmo pluribus pertracta lege apud *Joſephum Vice Comitem in tractatu de antiquis baptismi ritibus lib. 4. c. 10. ſqq. p. 621. ſqq. Caſalium de veteribus ſacris Chriſtianorum ritibus p. m. 53. ſq.* ac *Voſſium de Baptiſmo diſp. I. theſ. 6. 7. & 8. p. 31. ſqq.*

§. XXXVI.

Quibus ita præmiſſis atque dilucidatis probare aggredior graviter peccare eos, qui ſponte ſua præter neceſſitatem prorſus nudi incedunt, ac membra, quibus ſexus hominum diſcernitur, non operiunt.

§. XXXVII.

Si Scripturam S. conſulamus, varia illa, quæ turpi illi nuditati opponi poſſunt, ſuppeditat argumenta. Etenim (1) cum ex peccato turpis genitalium nuditas, ob quam rubore ſuffundebantur, eandemque veſtibus tegendam eſſe cenſebant primi parentes, ortum ſuum traxerit: *Gen. III, 6. 7.* ipſum autem peccatum homo, quamdiu in hac vita commoratur, nunquam plane deponat; *Gen. VI, 5. VIII, 21. Rom. VII, 23. ſq. Ebr. XII, 1.* facile inde colligi poteſt, nuditatem genitalium hodie adhuc turpem, adeoque veſtimentis contegendam eſſe. Ridet Satanas, *B. Lyſeri judicio*, per tales homines noſtram miſeriam, quibus dicit: In-

 ce-

cedite ſicut Adam, qui tamen non ſunt, qualis fuit Adam, vid. *B. Calov. Comm. ad Geneſ. p. 336.* (2) Ipſe DEus poſt lapſum homines veſtiit, eoque ipſo docere voluit, nos non nudos, ſed veſtitos incedere debere. (3) Cum Noah vino oppletus verenda ſua denudaſſet, idque impius Cham fratribus ſuis, Semo atque Japheto, annunciaſſet, hi verecundia tacti pallium impoſuerunt humeris ſuis, ac incedentes retrorſum, operuerunt pudenda patris ſui, faciesque ſuas averterunt, ne patris virilia viderent. E quorum verecundia ſatis patet cum honeſtate pugnare nuda parentum ſuorum genitalia conſpicere, atque inde minimum inferri poſſe nuditatem quandam non eſſe licitam. (4) *Exod. XX, 26.* injunxit Deus, ne ſacerdotes in ſacris faciendis per gradus longe diſtantes ad ipſius altare adſcenderent, quo minus pudenda ipſorum nimia crurum diſtenſione retegantur; nec non *Exod. XXIIX, 42.* demandavit Numen divinum, ut conficerentur ſacerdotibus feminalia linea, quibus operiant carnem turpitudinis ſuæ a renibus usque ad femora. (5) *Jerem. XIII, 26.* Deus nuditatem populo Iſraelitico ceu pœnam graviſſimam interminatur, inquiens: *ideo etiam ego denudabo fimbrias tuas ſuper facies tuas, ut videatur ignominia tua.* Ad quæ verba optime Grotius: *attollam veſtes tuas ſuper caput tuum, quod ignominiæ cauſa fœminis fieri ſolet, præſertim belli jure captis.* Cum quo loco confer *Ezech. XVI, 37. Nahum. III, 5.*

§. XXXVIII.

Sana ratio quoque dictitat omne id fugiendum eſſe, quo ad peccatum quis facillime induci poteſt. Sed id facere nuditatem aliosque ad laſciviam provocare in propatulo eſt.

§. XXXIX.

Nec deſunt teſtimonia ethnicorum ſcriptorum, quibus nuditatis turpitudo ad oculum oſtendi poteſt. Elegans ejusmodi teſtimonium ſuggerit nobis *Herodotus L. I. cap. 10. p. m. 5. Apud Lydos & fere apud cæteros quoque barbaros, magno probro eſt etiam virum conſpici nudum:* multo magis fœminam, ut ex antecedentibus ab Herodoto memoratis liquet. Graviſſimus quoque autor *Cicero* denudationem improbat, inquiens: Flagitii principium eſt nudare inter cives corpora: *L. IV. quæſt. Tuſc.* Et cum Antonius inter Lupercos nudus orationem ad populum habuiſſet, idem in hanc nequitiam tali modo invehitur: ô præclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus! quid hoc

tur-

turpius? quid ſuppliciis omnibus dignius? *Orat. Philipp. II.* Ex ipſius Romuli, primi Romanorum Regis, ſanctione ille criminis capitalis reus habitus fuit, qui ſe nudum a fœmina videri paſſus fuit, teſte *Plutarcho in Vita Romuli.* Geminum plane reperimus apud Perſas, utpote de quibus Alexander ab Alexandro *Genial. Dier. l.* II. *c. 25. p. 484.* ſequentia perhibet: Ut nullis errorum maculis notarentur, nudos conſpici ullos nec fas, nec jus eſſe dicebant. Itaque nudum conſpicere hominem ac ſi immane ſcelus admiſſum foret, capite luebatur. Adſunt quoque luculenta exempla gentilium, qui nuditatem turpem omni modo evitarunt. De Flamine Diali apud *Gellium L. X. c. 15.* memoratur, ipſum tunicam intimam, niſi in locis tectis, non exuiſſe, ne ſub cœlo, tanquam ſub oculis Jovis, nudus eſſet. Imo pudor quibusdam viris pariter atque fœminis ethnicis adeo cordi fuit, ut ſub ipſo animæ e corpore exitu admodum curaverint, ne ſe denudarent. De Julio Cæſare *Svetonius c. 82. n. 3.* narrat, quod, poſtquam advertit, undique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obvolverit, ac ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxerit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. De Pentheſilea, quæ Achillis haſta transfoſſa fuit, legimus apud *Cointum Smyrnæum L. I. verſ. 620.* quod curaverit, ut ad terram caderet εὐσταλέως, ne pudor formoſum corpus dedecoraret. De Lucretia moribunda *Ovid. L.* II. *Faſtor, v. 843. ſeq.* ita canit:

Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat, honeſte
Reſpicit: hæc etiam cura cadentis erat.

Olympiam adeo ſtuduiſſe verecundiæ, ut cum expiraret, capillis atque veſte crura contexerit, ne qvid poſſet in corpore ejus indecorum videri, autor eſt *Juſtinus Hiſtor. Lib. 14. c. 6. n. 12.*

SECTIO III.

DE NUDITATE HOMINIS IN STATU GLORIFICATIONIS.

§. I.

ORdo nunc poſtulat, ut paucis etiam diſpiciamus, num nuditas illa glorioſa, quæ protoplaſtis in ſtatu integritatis competiit, poſt reſurrectionem in vita æterna rurſus habitura ſit locum, an vero veſtium quoque ibidem ſit futurus uſus? Hoc dum animo perpendimus, placet omnino nobis effatum *Anſ-*

helmi in Elucidario: Beati quidem nudi erunt, ſed omni decore fulgebunt, & non plus de illis membris, quam de gratioſis oculis erubeſcent. Nec ſinunt nos de veritate hujus glorioſæ nuditatis dubitare graviſſimæ quædam rationes: 1) quia recuperabunt beati cœlites in gradu excellentiori amiſſam Dei imaginem: at hæc, uti jam dictum, conſiſtit primario in perfectiſſima rectitudine facultatum ſuperiorum & inferiorum animæ, ſecundario in excellentia præprimis corporis humani; quæ bona nuditas illa glorioſa concomitata fuit. 2) Adamus in ſtatu integritatis nullo utebatur veſtimento, ſed id tantum poſt commiſſum peccatum quæſivit. *Sicuti* enim *funis furem, ita veſtimenta præcepti divini indicabant transgreſſorem*, ſunt verba hæc *Ælurii de vita æterna theoretice & practice adumbrata c. II. membr. IV. §.23. p.295.* Beati autẽ ad viſionem Dei beatificam admiſſi, Redemptori ſuo conformes, & Angelis haud diſſimiles non poterunt peccare, cum protoplaſtæ ſaltim poterant non peccare. Ceſſante itaque peccato, ceſſabit & veſtimentorum uſus. Hanc quoque ob cauſam Elias cœlos adſcenſurus abjecit pallium ſuum, *2. Reg. II, 13.* Et Salvator cum e ſepulchro prodiret, linteamenta tanquam ſigna deletorum peccatorum in ſepulchro reliquit, *Luc. XXIV, 12.* 3) Nos in hoc miſerrimo ſtatu utimur veſtibus ad propulſandas aëris injurias; corporibus autem beatorum nullæ aëris injuriæ erunt metuendæ, *non eſurient, nec ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, nec ullus æſtus, Apoc. VII, 16. & XXI, 4.* Nam

Nox ibi nulla rapit ſplendorem lucis amœnæ,
Non dolor aut gemitus veniet, nec feſſa ſenectus,
Non febres, morbus, clades, non frigora, flammæ,
Flumina, nimbus, hiems, tonitru, nix, grando, procella,

uti eleganter canit *Paſchaſius in Carm. de Pœnit.* 4) Veſtes a nobis adhibentur ad tegendas partes corporis illas, quas natura ob verecundiam voluit eſſe tectas, ſed corpora beatorum ab omni libidine erunt remota, nec concupiſcentia amplius ulla membra movebit. 5) Tandem veſtium adhibetur uſus ad decorem conciliandum, corpora vero beatorum erunt formoſiſſima, fulgidiſſima, ſpendidiſſima. *Juſti fulgebunt ut ſol, Matth. XIII, 43.* Ergo decore aſcititio non indigebunt. Vid. de hac re accurate agentem *B. Gerh. LL. Theol. Tom. IX. de vita æterna §. 155. p. 1012.* adde B. *Scherz. Loc. XXIII. de vit. ætern.* §. 6. ubi adducit attribu-

ta

ta quædam corporum glorificatorum, e quibus nuditas glorioſa ſimul colligi poteſt.

§. II.

Ridemus proinde merito carnales cogitationes, quas Muhammedani de ſtatu illo felicisſimo fovent. Sic enim *B. Gerhardus l. c. §. 157. p. 1014.* ex Alcorano & Zuna, libris apud Turcas fidei authenticæ & indubitatæ, nos certiores facit, quod Muhammedes ſectatoribus ſuis in paradiſo ſplendidisſima palatia, regales epulas, choreas & virginum amplexus polliceatur, ac talem poſt reſurrectionem beatorum vitam fingat, qua dulcisſimis aquis, ſalutifero potu, pomis multimodis, fructibus variis, decentisſimis atque mundisſimis mulieribus, annulis aureis, veſtibus ſericis, lectis pulcherrimis beati fruantur. Idem Theologus conſummatisſimus ex *Lib. I Alcorani à Salom. Sweigero editi c. XIII. p. 70.* nos docet, Muhammedem ita deſcribere paradiſum, quod ex Smaragdis & Hyacinthis totus ſit extructus, quod fontes mellis, lactis & vini in eo fluant, quod incolæ paradiſi utantur veſtibus omnis generis coloribus, excepto atro, tinctis &c. & ex libri citati *cap. 26. p. 227.* perhibet, quod juxta Muhammedem beati induantur veſtibus auro intertextis, bibant è fontibus dulcisſimis, & conſveſcant cum virginibus &c. Confer *Hornbeck. in ſumma controverſ. Lib. 3. p. 162.* Quibus refutandis ſufficit vel unicum Pauli dictum: *Non eſt regnum DEi cibus ac potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. Rom. XIV, 17.*

§. III.

Similes autem carnales voluptates in Paradiſo ex cibo, potu, venere, arboribus etiam (ut *Sophronius Kozak in Phyſica Moſaica* ſomniat, *cit. B. Scherz. l. c. p. 636.*) & converſatione cum brutis, catellis, felibus non tantum ſibi imaginantur Iudæi; ſed etiam ſibi firmiter perſvadent, ſe non ſolum iisdem corporibus, ſed iisdem quoq; veſtibus, quibus fuerunt ſepulti, eſſe reſurrecturos. Unde *R. Johanan* moribundus præcepiſſe fertur: *ſepelite me veſtibus derocæ* בדרוקא *h. e. candidis, neque nigris: ne quando reſurgam inter juſtos ac probos, pudeat mei ob nigras meas veſtes. Vel ſi inter malos ac impios reſurgam, ne mei pudeat ob veſtes candidas:* Eadem fabula de *R. Jrmihah* narratur, quod dixerit: *Veſtite me amictu puro ac candido, & induite me caligis, & date mihi in manibus baculum, & calceis induite pedes meos, ut, quando Deus me vocat, promptus & paratus ſim*

Contra Jannai moriturus liberis ſuis mandavit, ne ſepelirent eum in veſtibus vel albis vel nigris. Non albis, ne in gehennam detruſus veluti ſponſus appareret inter lugentes; non nigris, ne in paradiſo compareret velut lugens inter hoſpites nuptiales. Itaque rubris veſtimentis indui voluit: uti ex *Talmude Schab. fol. 114.* refert *Buxtorffius in Synag. Judaica cap. 49 p. m. 701. ſq.* Fundamentum, quo has nugas ſuperſtruunt, eſt locus e *Job.* XXXIIX, 14. quem eum in finem etiam *R. Nathan in Talmude Hieroſolymitano* urget: *mutatur ſicut lutum ſigilli, & ſtat ſicut veſtimentum.* Quæ verba hoc modo explicant: *Quamvis lutum ſepulchri corruperit ſigillum corporis humani, nihilominus tamen indutum eadem veſte ferali reſurget.* At quam vana hæc ſit expoſitio, cuivis ad oculum patet. Nullum veſtigium in loco citato adeſt, ex quo colligi queat, in reſurrectione corpora humana cũ veſtimentis e ſepulchro proditura eſſe. Textus ſacri paulum difficilioris accurata inſpectio oſtendit, ſenſum eſſe, terra & omnia, quæ in illa, mutabuntur ſicut lutum ſigilli, & cœli, qui alias firmi ſtant & incorruptibiles cum ſuis corporibus cœleſtibus mutabuntur, ſicut veſtimentum, uti verba illa παραφράζει accuratiſſimus Scripturæ S. interpres *B. Schmid. Comm. in h. l. p. 1454.* Cæterum ſimile valde claudicat, quo uſus dicitur *R. Meir in tractatu Sanhedrin*, quando Cleopatræ interroganti, num nudi an veſtiti prodituri ſint in reſurrectione mortui, reſpondit, triticum ut contemplaretur, atque videret, ut hoc nudum quidem terræ mandetur, ſed non niſi bene tunicatum ex terra ſuccreſceret: Sic quoque mortuos non absq; operimento reſurrecturos. Verum eo usque ſimile hoc ſi ſe extenderet, triticum eodem veſtitu deberet in terram conjici, quocum rediret. Quod tamen ita ſe non habet. Ergo facile patet, hic quoque obtinere illud: Simile non eſſe in omnibus quærendum. Vide refutationem harum nugarum ſolide inſtitutam apud *Hoornbeck. L. VIII. c. 5. contra Judæos.*

§. IV.

Veſtes quod attinet albas, quas Apocalypſis piis Sardenſibus *c. III, 4. 5.* ſenioribus cœleſtibus *c. IV, 4.* animabus martyrum *c. VI, 11.* omni electorũ in cœlis apud Dominum viventium cœtui *c. VII, 9.* ſponſæ agni *c. XIX, 8.* tribuit, nõ ſunt proprie, ſed parabolice ſic dictæ veſtes. Quales veſtes Scriptura S. ipſi Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuit, quæ vero θεοπρεπῶς ſunt explicandæ *Pſ. XCIII, 1. & CIV, 1.* Denotatur enim

enim hiſce majeſtas Dei ac pulchritudo infinita,ſummeque admiranda, ut monet *B. Glasſius Phil. S. L. V. Tr.I.c.7. p.166.* Sic quando Chriſtus poſt reſurrectionem podere veſtitus legitur, *Apoc.I,13, non pueriliter ſentiendum de Domino Salvatore, quaſi in cœlis veſtimentis ejus generis indigeat, vel eo corpus ipſius glorioſum gaudeat, ſed attollendus ad ſpiritualia myſteria animus, nimirum quod officium dignitatemque ſuam per hujusmodi imagines ænigmatice repræſentet,* uti bene ad hunc locum ſcribit *B.Cluverus p.45.* Opinor itaq; ſimilitudinem hancce veſtium a conſvetudinibus hujus ſeculi fuiſſe deſumtam. Nam ſicuti res albæ more ferme omnium nationum in bonam, nigræ in malam accipiuntur partem: v. g. Thraces dies feliciores atq; lætos albo calculo in urnam conjecto notare ſolebant, infeliciores vero atro, ut ſcirent, anno exacto, quot & quos dies lætos, quosq; triſtes habuiſſent. *Vid.Plin.Lib.*VII. *c.* XL. & *Martial. L.* XII. *Epigr.* XXXIV. Ita in ſpecie veſtis alba vel candida antiquis ſignum erat felicioris ſtatus & ſucceſſus. Apud Romanos veſte candida utebantur; Triumphatores, quorum & currus, & veſtes, & equos, & pueros albo fuiſſe colore ornatos, obſervat *Roſin. Antiq. Rom. in Paral. c.* IX. *p.* 387. Quidni igitur Scriptura S. beatis cœlorum incolis albas tribuat veſtes, qui de debellatis omnibus hoſtibus, Satana, mundo, propriaque carne in altera vita triumphabunt, & â metu omnis hoſtilis invaſionis liberati *ſedebunt in pulchritudine pacis ac in tabernaculis fidei, inque requie opulenta; Eſa.* XXXII, *18.* Apud Romanos Reges veſte candida fuiſſe indutos ex *Cluvero* obſervat *Math. Polus Synopſ. Crit. Vol.V. pag. 1619.* Apud Judæos multasq; alias gentes ſacerdotes veſtibus albis in peragendis ſacris uſos fuiſſe ex ſcriptura ſacra non minus, quam aliis ſcriptoribus probat Dn. Doctor *Præſes in diſput. de uſu veſtium albarum* §. 4. *ſqq.* Eleganter itaque veſtis alba beatis tribui poterit, quia ipſi, uti in hac vita jam fuere Reges & ſacerdotes; *1. Petr. II, 9. Apoc. V, 10.* ita poſt hanc vitam Reges erunt & Sacerdotes, quia poſſidebunt regnum Patris cœleſtis. *Math.* XXV, 24. ac in ſecula nunquam terminanda laudum ſacrificia DEO offerent. Porro alba veſte apud Romanos veſtiti erant Candidati, â veſte candida ſic dicti, qui ſummos honores petebant. Vid. *Cœlium Rhodiginum lect. antiq.* L.XIV. *c. 16. p. 761. Lipſ. Lib. Electorum c. 13. & Beregg. ad Sveton. Cæſar. c. 19 & 24.* Conſtat quoq;, quod in honoris ſymbolum viris dignitate conſpicuis alba veſtis data fuerit, uti ex exemplo *Joſephi, Gen.* XLI, 42. & *Mardochai, Eſth. VIII, 15.* abundanter liqvet.

Quan-

Qvando igitur Scriptura S. veſtes albas cœli incolis aſſignat, fit hoc in ſignũ ſum̃i honoris atq; glorificationis, qva iidem gaudent. Veſtes albæ lætitiæ quoq; ſignum erant. Unde Salomon hominem defœcato eſſe animo præcipiens, *Eccleſ. IX, 8. Sint*, inquit, *omni tempore veſtimenta tua candida*. Et quicunq; apud Romanos diebus feſtis & epulis ſolemnioribus indulgebant, induti erant veſte alba. Vid. *Cic. in Vacinium Vol. 3. Orat. 33. p. 63. edit. Hanov. 1606. 8vo, & B. Rappoltum Comm. in Horat. c. VIII. p. 306.* Conferatur hic iterum laudata *diſſertatio* Dn. Doctoris *Præſidis* mei, *ſect. 2. §. 21. p. 25.* Scriptura ergo ſacra ſtolas albas beatis dum tribuit, eorundem lætitiam gaudiumque ineffabile adumbrat. *Vid. Pſal. XVI, 11. XXXVI, 9. Job. XVI, 22. 1. Petr. I, 8.* Munditiei tandem, puritatis atque innocentiæ ſymbolum fuit olim veſtis alba. Unde Herodes, dum Chriſtum veſte candida amiciri jubebat, innocentiæ ipſius teſtimonium vel præter intentionem præbuit; *Luc. XXIII, 11.* Veſtis itaque alba in beatis præcipue puritatem, ſanctitatem & δικαιώματα h. e. juſtificationes deſignat. Ita enim ipſe Spiritus S. hanc vocem exponit, *Apoc. XIX, 8. Byſſinum ſunt juſtificationes ſanctorum.* Hæc δικαιώματα autem, quæ homines juſtos conſtituunt, & faciunt, ut coram Deo juſti declarentur, non â propriis meritis, ſed à juſtitia Chriſti amicientis ſponſam ſuam ſuis meritis, ſuamque ei juſtitiam imputantis unice dependent. Vid. de hac re ſolide agentem Dominum *D. Chriſtianum Gotthülf. Blumbergerum*, Diœceſeos Patriæ Superintendentem meritiſſimum, Patronum meum maxime colendum, in *Diſſert. Synod. de Petri Bertii Apoſtaſia Sect. II. §. 23. ſqq.* E quibus in medium adductis ſatis liquebit, quod veſtes illæ, quæ beatis tribuuntur, non ſint propriæ, ſed analogice tales, & quod beatorum corporibus excellens quædam nuditas competat.

§. V.

Quibus de hoc nobili argumento in medium allatis, ſupremo Numini pro conceſſis viribus immortales agimus grates, nobisque in memoriam revocamus dictum illud Paulinum: *2. Cor. V, 1. ſeqq. Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex DEO habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes: Si tamen veſtiti, & non nudi inveniamur.*

S. D. G.